3 1761 05970180 5

Ernault, Emile Jean Marie
De Virgillio Marone grammatico
Tolosano

PA
8443
Z5E76

PURCHASED FOR THE

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

FROM THE

CANADA COUNCIL SPECIAL GRANT

FOR

LINGUISTICS

DE

VIRGILIO MARONE

GRAMMATICO TOLOSANO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

ÆMILIUS ERNAULT

PARIS

F. VIEWEG, LIBRAIRE-ÉDITEUR

67, RUE DE RICHELIEU, 67

1886

DE

VIRGILIO MARONE

GRAMMATICO TOLOSANO

Chartres. — Imprimerie Durand, rue Fulbert.

DE

VIRGILIO MARONE

GRAMMATICO TOLOSANO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

ÆMILIUS ERNAULT

PARIS

F. VIEWEG, LIBRAIRE-ÉDITEUR

67, RUE DE RICHELIEU, 67

1886

LIBRARY
JUL 23 1957
UNIVERSITY OF TORONTO

PA
8443
Z5E7

PRAEFATIO

Virgilius Maro grammaticus, qui videtur vixisse Tolosae sexto vel septimo post Christum saeculo, prorsus indignus esset qui a litterarum curiosis legeretur, si nihil nisi praestantes ingenii dotes, excellens doctrina et vera de hominibus rebusque judicia scriptorem posteritatis studiis commendaret. Sed non raro fit ut inepti auctoris libellus, quem aequales merito deriserint, multa utilissima, non ad litteratorum delectationem, sed ad morum aut linguarum historiam indagandam posteros docere possit. Porro Virgilio florente, latina lingua apud Gallos jam partim *romanica* erat; aliae quoque audiebantur nunc fere omnino ignotae, quae in Francogallorum sermone condendo non nihil valuerunt. Quare operae pretium esse putavi si tentarem aliquantulum lucis afferre ad quaestiones et aenigmata solvenda quae Virgilium legenti et intellegere laboranti creberrime occurrunt.

Nulla exstat adhuc grammatici nostri critica editio; in hoc opusculo componendo usus sum praesertim codice Parisino (Latino 13026), maxima ex parte inedito, et libris quorum praecipuos in capite primo indicavi.

CAPUT PRIMUM.

DE GRAMMATICI NOSTRI NOMINIBUS, PATRIA, AETATE ET OPERIBUS.

I. *Virgilium* fuisse nostri grammatici nomen, non *Vergilium* ut a Germanis viris nonnunquam vocatur[1], jam ex hoc colligi potest, quod *Virgilium* codices manu scripti fere semper habent. In Arte codicis Bernensis 123 ex multis auctoribus collecta, inveniuntur et *Virgilius*[2] et *Vergilius*[3], at posterior forma a doctiore librario male scripta esse videtur, qui mantuanum poetam in mente habebat. Omnes enim nunc sciunt, et multi jam scire tunc poterant verum praeclari poetae nomen fuisse *Vergilium*[4].

Quod nobile verbum a latinis vocabulis *vergo, virga* et *virgo* falso, ut videtur, derivari creditum est, nam celticae

1. *Vergilius* legitur etiam in gallicana translatione libri ad latinam litteraturam pernoscendam utilissimi : W. S. Teuffel, *Histoire de la littérature romaine*, traduit ... par J. Bonnard et P. Pierson... t. III, Paris, 1883, p. 263, 304.

2. Grammatici latini ex recensione Henrici Keilii. Supplementum. Anecdota Helvetica... edidit Hermannus Hagen Lipsiae A. MDCCCLXX, p. 192, 193, etc.

3. Ibid., p. 189, 190.

4. E. Benoist, *Œuvres de Virgile*, 2e édition. Paris, 1876, I, LXXXV, n. 2.

originis est « vix dubiae »[1], ejusdem qua gallica vox *vergobretos*, « summus magistratus », proprie « efficaci-judicio[2] », hibernica vetusta *ferg*, « heros », aremorica vetusta *guerg* « efficax » (graece ἐν-[ϝ]εργός, « efficax », ϝέργον « opus », germanice *werk*). *Vergilios* gallicum nomen latine « operosus » interpretari potest. Ne quis miretur mantuani vatis nomen celticum esse, cum majores nostri in Gallia cisalpina tot annos dominati plurima vernaculae linguae reliquerint vestigia : satis est memorare *Mediolanum* vel *Mediolanium* urbem, quae etiamnunc italice *Milano* dicitur, gallicum nomen tenens quod in transalpina multoties periit[3].

Vergilii nomen apud Gallos diu usurpatum est, mutata pronuntiatione primae vocalis *e* in *i;* unde et nunc dicitur francogallice *Virgile,* non * *Vergile.* Utrum mutatio haec soni linguae latinae recentiori an gallico sermoni sit adscribenda, affirmare non ausim. *I* enim pro *e* in latino sermone vulgari aut recenti reperitur, non autem ita frequenter ante consonantes *rg*[4], et contra celticae formae sunt quas nomini *Virgilii* nostri conferre licet : *virgobretus* « nomen magistratus », apud Isidorum Hispalensem, et in vetusta Aremoricorum lingua *guirgiriam* « hinnio » (cambrice *gweryraf,* proprie « irascor », hibernice *fergaigim*, cf. ὄργη).

Dubium quoque esse potest an noster grammaticus aliud nomen puerulus a patre acceperit, quod eum prae-

1. Zeuss-Ebel, *Grammatica celtica,* 11, 86, 766.
2. Ibid., 857.
3. H. d'Arbois de Jubainville, *Les origines gauloises* (*Revue historique*, t. XXX), p. 10.
4. Hugo Schuchardt, *Der Vokalismus des Vulgœrlateins.* Leipzig, 1866-1868, t. I, p. 357, t. III, p. 133.

ceptor jusserit deponere, ut postea adultum se *Maronem* cognominatum esse ipse narrat. Quem si leges, dubitabis sitne casu et imprudens magni P. Vergilii Maronis nomina adeptus, at certe intelleges eum nec rebus nec hominibus vera vocabula tribuere solitum. « Primus ... fuit « quidam senex Donatus apud Troiam, quem ferunt mille « vixisse annos. Hic cum ad Romulum, a quo condita est « Roma urbs, venisset, gratulantissime ab eodem sus- « ceptus, .IIII. continuos ibi fecit annos, scholam con- « struens et innumerabilia opuscula relinquens »...[1] « Fuit « itidem apud Troiam quidam Virgilius eiusdem Do- « nati auditor ... qui LXX uolumina de ratione metri « scribens, et epistolam ad Virgilium Assianum missam « de verbi explanatione. Tertius Virgilius ego... Erant « praeterea tres Ulcani[2], unus in Arabia, alius in Endia, « tertius in Africa : quos Aeneas meus praeceptores ha- « buit, quorum libros meditante notaria arte in lucidam « descriptionem transtulit : in quibus repperitur, quod uir « quidam Maro fuerit prope diluuium, cuius sapientiam « nulla narrare saecula potebunt[3]. Unde Aeneas cum me « uidisset ingeniosum hominem, me hoc uocabulo iussit « nominari dicens : hic filius meus Moro » [lege Maro]

1. *Classicorum auctorum e vaticanis codicibus editorum* tomus V... curante Angelo Maio. Romae typis vaticanis, M.DCCC.XXXIII, p. 123, 124.

2. Cf. « Ulcanus etiam de inbicillitate Tuscorum scribens » (Cod. Parisin. 13026, f. 39).

3. Cf. « *Poteo* secundae coniugationis et potentiæ maioris » (est quam *possum*), Cod. Parisin., f. 33. Quod verbum *potere*, hispanice *poder*, factum est ex analogia formarum *potui*, *potens*, quae comparatae sunt conjugationi verbi *monui*, *monens*, *monere*.

« uocabitur, quia in eo antiqui Maronis spiritus re-
« diuiuit[1]. »

Noster vocatur Virgilius, et Virgilius Maro, a grammaticis scriptoribus qui ejus sententias afferunt; falso dicitur Virgilius Asianus, in paucis locis Artis anonymae Bernensis[2].

Legitur in egregio quem scripsit Comparetti libro « de Vergilio in media aetate » nostrum grammaticum et praenomen poetae *Publium* sibi assumpsisse[3], quod nusquam alibi invenire potui.

II. Virgilius Maro se Gallia oriundum indicat, cum Gallos *nostros* appellet[4]. Ab Abbone Floriacensi Tolosanus ipse dici videtur : « Scripulus appenditur XVI « granis lentis, licet Virgilius Tolosanus in suis opusculis « asserat pensari XVIII granis hordei, annumerans tria « grana singulis siliquis[5]. » Locus ille de scripulo in nostri operibus quae supersunt non occurrit et ad alium Virgilium referri posset. Priores ejusdem nominis grammaticos appellat ipse Trojanum et Asianum, at nescimus quas regiones aut urbes ita designet; nescimus etiam utrum tertius Virgilius et ultimus fuerit. Attamen doctis-

1. *Die Epitomae des Grammatikers Virgilius Maro nach dem Fragmentum Vindobonense* 19556, von Dr Joh. Huemer. Wien, 1882 (Sitzungsberichte der phil.-hist. Classe der kaiserlichen Akademie der Wissenschaften, 1881, XCIX Bd, II Hft), p. 510.

2. H. Hagen, *Anecdota Helvetica*, p. 71, 80, 82; at recte Virgilius, ibid. p. 86, 131, etc.; Virgilius Maro, p. 134.

3. *Virgil im Mittelalter von Domenico Comparetti,* aus dem italienischen übersetzt von Hans Dütschke, Dr phil. Leipzig, 1875, p. 72.

4. *Classic. auctorum...* t. V, p. 32, 44.

5. Ibid., p. 349.

simorum sententiam virorum secutus, Tolosanum Virgilium esse nostrum censeo, quia certum est scholam ejus in Aquitania floruisse, ubi Hiberni, qui cum eadem regione saepe communicabant, illam doctrinam noverunt, susceperunt et ipsi postea Anglo-Saxones docuerunt[1]. Ceterum videtur tertius Virgilius propria gloria famam priorum obscurasse, quorum opera fere solus memorat.

III. De Virgilii aetate multa ingeniose disputata sunt. Quae ipse affert nomina virorum, aut res historicae quarum mentionem facere videtur, fere nullam adhuc tali disquisitioni lucem praebent, cum saepe obscuriore modo cogitandi et scribendi consulto utatur.

At tria praesertim invenit Ozanam argumenta quibus noster monstratur vixisse sexto vel demum septimo post Christum saeculo, ut plurimi jam consentiunt viri docti :

1° Virgilio scribente, non pauca priscae Romanorum religionis manebant vestigia, cum ipse christianus esset, sed multos paganos vel inter litteratos nominet.

2° Latinae litterae eodem tempore non prorsus perierant, licet a barbaris imperio potitis graviter comminutae ad ruinam vergerent.

3° Aldhelmus, qui obiit anno post Christum septingentesimo nono, Glengi sententiam citat quam Virgilius prius citaverat. Aldhelmus enim scribebat Eadfrido : « Si vero « quippiam, inscitia suppeditante, garrula frontose con- « vincitur pagina prompsisse, ut versidicus ait :

1. A.-F. Ozanam, *Œuvres complètes*, t. IV. Etudes germaniques. II. *La civilisation chrétienne chez les Francs*, 2e édition. Paris, 1855, p. 483-487, 497. — C. Marty-Laveaux, Bibliothèque de l'Ecole des Chartes, t. V, 2e série, 1848-1849, p. 378, 379.

« Digna fiat fante Glengio gurgo fugax fambulo[1]. » Noster autem in epistula secunda scripserat : « Verum-« tamen, ne in illud Glengi incedam, quod cuidam con-« flictum fugienti dicere fidenter ausus est *Gurgo*[2], in-« quit, *fugax fabulo*[3] *dignus est,* pauca tibi tui negotii « necessaria de pronomine profabulabor[4]. »

Glengus erat pater Maximiani quem Virgilius *nostrum* appellat[5], et forte in eadem urbe, at certe eodem tempore vivebat : « Multa super verbi explanatione concilia aput « Romanos habita esse comperimus, quibus multi et « famosissimi praefuere viri, Iulianum dico, et Teren-« tium, Galbungum et Glengum, et duos Gregorios, Re-« gulum et Reginum Cornelium, virum satis eloquentem, « graecae et hebraicae linguae promptissimum interpre-« tem ; cuius in latino sermone fulgor ingenii tantus erat, « ut nihil obscurum relinquere videretur : qui me quoque « et duos filios Juliani, Donatum grammaticum, et Donem « prius rhetorem simul et grammaticum, postea fidelem « modo presbyterum, ad se venientes benignissime ac « liberalissime suscipiens docuit pleno rhetoricam mense « artem, et alio poeticam, et de reliquis grammaticam[6]. »

Ennodium episcopum Ticinensem, qui obiit anno post Christum quingentesimo vigesimo primo, in Aeneam grammaticum Virgilii praeceptorem epigramma compo-

1. Ibid., p. 496, in nota.
2. Cf. « Sepissime uersus mei soliti meminisse compellor quem frequenter in exprobrationem nostri temporis *gurgunum* decanto » (Cod. Parisin. f. 16, v°) et « *gurgo*, garrulus » in gloss. Amplon.
3. An legendum *gabulo*, cf. *gabulum*, patibulum, crux, eculeus ?
4. *Classicorum auctorum*... t. V, p. 22.
5. Ibid., p. 90.
6. Ibid., p. 37, 38.

suisse legimus in libro qui inscribitur *Histoire de la littérature romaine par W. S. Teuffel, traduit... par J. Bonnard et P. Pierson,* t. III, p. 297, 305; quod frustra quaesivi[1]. Quinque Ennodii epigrammata exstant, « de quodam stulto, qui Virgilius dicebatur »; quem nostrum grammaticum fuisse non verisimile est, ut recte judicavit vir doctus Joh. Huemer, quem in his studiis potissimum sequi praestat.

Non quod tertius Virgilius, qui se « ingeniosum hominem » praedicat (vide supra § 1) « stultus quidam » a viro priscis Romanorum litteris imbuto vocari nequiverit; sed idem grammaticus, non poeta erat, ut *vates* quem irridet Ennodius.

IV. Duo tantum videntur superesse Virgilii opera, quorum unum inscribitur *Epitomae,* alterum vero, *Epistolae de octo partibus sermonis,* Julio Germano diacono dicatum, in priore haud semel laudatur. Quae in quinque praecipue codicibus scripta ad nos pervenerunt, qui dicuntur:

1° Fragmentum Vindobonense 19556, saeculo nono, in quo Epitomarum partes continentur, quas Dr Joh. Huemer diligentissimo studio edidit, *Die Epitomae des Grammatikers Virgilius Maro,* Wien, 1882 (vide supra, § 1, in fine), p. 529-542;

2° Codex Parisinus Latinus 13026, saeculo nono, qui Epitomas continet, fol. 11-40; cujus codicis textum Huemer contulit cum partibus Epitomarum quae in fragmento Vindobonensi leguntur;

1. Hunc errorem ablatum esse perspicio in quarta germanica editione: *W. S. Teuffels Geschichte der römischen Literatur, Vierte Auflage bearbeitet von Ludwig Schwabe,* Leipzig, 1882.

3° Codex Montepessulanus (scholae medicorum) 306, saeculo nono ; excerpta ex Epitomis habet, quorum Huemer specimen dedit;

4° Codex Neapolitanus 34, qui saeculo undecimo scriptus, Epistulas et Epitomas habet et ab Angelo Maio editus est, at partim tantum nec satis accurate (*Classicorum auctorum e vaticanis codicibus editorum tomus V*, p. 1-149; *Appendix ad opera edita ab Angelo Maio*, Romae, 1871, apud Josephum Spithoever, p. 151-166);

5° Codex Angelicus (Romae, in angelica PP. Augustinorum bibliotheca, V. 3, 22), saeculo decimo, qui partem Epitomarum continet quam Arevalus edidit in appendice operum Sedulii[1], p. 426, 427 (in nota).

Satis multi praeterea loci Virgilii reperiuntur operibus grammaticorum aliorum intermixti : jam citavi (§ 1) *Anecdota Helvetica*, ab erudito viro Hermanno Hagen edita; addam fragmenta codicis Nanceiensis 356, saeculo octavo vel nono conscripti, quae A. Collignon typis mandavit (*Revue de philologie, de littérature et d'histoire anciennes*... sous la direction de O. Riemann et Em. Chatelain... Paris, 1883, p. 13-22).

Codices manu scripti inter se aliquando multum discrepant, et loci ab aliis rei grammaticae auctoribus ex Virgilio citati saepe pauca aut nulla verba habent communia cum operibus ejus quae supersunt. Ceterum non omnia quae scripsit habemus, et grammatici qui imperante Carolo magno floruerunt parum accurate priores laudare consueverant.

1. *Caelii Sedulii opera omnia ad mss. codd. vaticanos aliosque, et ad veteres editiones recognita*... a Faustino Arevalo... Romae, M.DCC.XCIII.

Virgilii opera primum[1] ab Angelo Maio, anno millesimo octingentesimo tricesimo tertio, partim typis mandata Romae prodierunt. Varias postea quaestiones ad eum pertinentes tractaverunt nonnulli latinae linguae, aut gallicae veteris, aut francogallicae studiosi; nec grammaticorum tantum, sed et historicorum curiositatem noster movit, non immerito.

Poeticos quoque et historicos a Virgilio nostro compositos fuisse libros censebat vir eruditione clarissimus Julius Quicherat (*Bibliothèque de l'École des Chartes*, 1re série, t. II, 1840-1841. p. 130-143); hanc tamen opinionem non omni dubitatione carere sciebat, ut ipse ait p. 142, 143, quam parum validis quamvis ingeniosis probare argumentis non potuit. Quos refert versus Virgilio adscriptos, p. 131, jure ineptissimos judicat; antiquum tamen servant rhythmi morem haec duo disticha, quem noster videtur prorsus ignoravisse. Cum de re metrica apud Virgilium grammaticum Joh. Huemer optime disputaverit, *Die Epitomae*... p. 556-558, pauca tantum exempla observationibus ejus addere satis est :

« Multi in hoc tempore uim deffendentiam*que* sed ha-
« rum ce artium ignorantes in rehtoria poema et in poe-
« mate rehtoriam agglomunt non habentes in memoria
« quid felix alexander agno rum magister preciperit (:)
« unaquaque ars intra suas conteniatur metas ne adul-
« teretur disciplina maiororum et nos aput eos accusare
« cogantur (;) sepissime *uersus mei* soliti meminisse com-
« pellor qu¸m frequenter in exprobrationem nostri tem-
« poris gurgunum decanto (:) *muli lautor no res logii ne*

1. Fragmentum tantum de XII latinitatibus editum erat ab Arevalo, ut supra dixi.

« *cape nam cessi* et seuera »[1] (lege *et cetera*). Quid significet Virgilianus, ut puto, versus iste, aut potius dimidius versus (nam *versus* apud nostrum pro *stropha* ponitur, vel rhythmica sententia, ut monstravit Joh. Huemer), non habeo dicere.

« Hic » [Mevis scilicet, id est Maevius] « eloquentis-
« simum carmen in octo partes orationis edidit, in quo
« hæc ait : participium generis omne tam ex verbo quam
« etiam ex nomine comparativum rectogradum trahit
« iure : sed et superlativum eodem receptat more ». (*Appendix ad opera edita ab Angelo Maio,* p. 145, § 8). Quod carmen, sicut alia a Virgilio nostro laudata, veterum artem metricam minime curat; constat quattuor versiculis qui secundum novam et vulgi auribus gratissimam consuetunem iisdem sonis bini desinunt :

Participium generis omne
Tam ex verbo quam etiam ex *nomne*
Comparativum rectogradum trahit iure :
Sed et superlativum eodem receptat *mure*.

Nomne pro *nomine* tunc temporis non insolentius erat quam *domnus* pro *dominus;* et vocalis *o* in *u* mutatae (*mure* pro *more*) multa videbimus exempla in capite tertio.

Nihil repperi quod Virgilium grammaticum historica scripsisse opera demonstret.

1. Cod. Parisin., f. 16, v°.

CAPUT SECUNDUM.

DE VIRGILII MARONIS MORIBUS ET SCIENTIA.

1. Virgilius Maro, quae loca quasi ex aliis scriptoribus afferebat, arguitur effinxisse, quo eruditior esse videretur (W. S. Teuffel, *Histoire de la littérature romaine*, trad. J. Bonnard et P. Pierson, t. III, p. 263; D. Comparetti, *Virgil im Mittelalter*..... übersetzt von H. Dütschke, p. 114; Ch. Thurot, *Notices et extraits des manuscrits de la Bibliothèque impériale*..... t. XXII, 2e partie, Paris, 1868, p. 61). « Dum cetera grammaticorum « medii aeui uirorum cohors bona plerumque fide usi « ueterum praecepta secuntur satisque habent collectum « undique puluerem grammaticum suis ipsorum inge- « niolis mediocriter aspersisse, unus inter eos extitit « Vergilius Maro, qui ad ultimos audaciae atque impu- « dentiae fines prouectus non solum peruersissima de « rebus a ceteris probe obseruatis iudicia ferret, sed « insuper singularem istam insaniam mendaciorum foe- « dissimorum inuentione quasi tueri ac communire au- « deret, reuera ille quidem non lucem ex fumo, sed ex « fulgore fumum dare solitus. Nonne notissimo illo « Vergilii uersu ecl. III, 90: « Qui Bauium non odit, « amet tua carmina, Maeui » nequiter abusus Maeuium

« uirum in carminibus dulcissimum fuisse nugatus est? « Etenim haec legimus p. 79 Mai: Astipuletur mihi in « hoc Maeuius[1] uir in carminibus dulcissimus, de quo « illud pro centum est: *qui fauum mellis* (Bauium!) *non* « *amat, odit tua carmina* Maeui[2]. Hic eloquentissimum « carmen in octo partes orationis edidit, in quo haec ait, « e. q. s. » (H. Hagen, *Anecdota Helvetica,* p. CVI). Quae si accusatio vera esset, fere nulla foret ratio habenda rerum quas solus Virgilius grammaticus affirmat. Mihi autem perarduum videtur apud eum mendacia deprehendere, quamvis multa fictis verbis involvat.

Maevius ille de quo noster mentionem fecit non idem est ac pravus poeta cujus nomini P. Vergilius Maro immortalitatem dedit, sed revera gallicanus, immo aquitanus et forsitam tolosanus grammaticus, ut perspexit Maius (*Appendix ad opera edita ab Angelo Maio,* p. 112); qui antiqua appellatione assumpta, versus de grammatica arte in vulgari sermone et rhythmo composuit (cf. cap. I, § IV, sub fine).

Sic et alia quae Virgilius affert nomina et scripta Ciceronis, Catonis, Terentii et multorum illustrium virorum, ad grammaticos pertinent aut aequales aut paulo priores, quod ipse saepe indicat; quare eum fraude lectores decipere voluisse minime credo.

Nomina illa adscita non tantum a Latinorum litteratura, sed etiam Graecorum, ut Homerus, immo Hebraeorum, ut Sophonias (« Sufphonia hebraeo scribente », *Classic. auctorum,* t. V, p. 20), sumebantur.

Geographica quoque multa vocabula apud Virgilium

1. *Mevis*, Appendix ad opera edita ab Angelo Maio, p. 145.
2. *Mei*, ibid.

peculiarem sensum habent, qui cum communi et noto minime congruit; idem de historicis et de reliquis etiam rebus saepe dici potest. In loco quem citavi cap. I, § 1, Julius Quicherat putabat *Roma* Tolosam designari, *Troja* vero Romam, *Romulo* Walliam, *mille annis* longam vitam, etc[1].

II. Aeneas discipulo suo dicebat: « O Uirgili primum « sidera ne putius » (i. e. *considera ne potius*) « tuis « inuentis quam tuorum doctorum credas exemplis... Di- « cebat etiam nullum diem totum totamue noctem uacuam « a sapientiæ studiis exigas quia et si una die uel nocte « lectionem itermiseris et crastino statim legere coeperis « sensus acumen aliquantula licet parte repperies dea- « cutum cotidiana namque lectionis intentio acuendi aug- « menta conquirit ingenii » (Cod. Parisin. f. 23 v°). Haec praecepta dilectissimi magistri, « quæ propter illius longam absentiam sine lacrimis fari non *poterat* » (ibid. f. 23 et 23 v°) videtur Virgilius fideliter servavisse. Multum operae et laboris eum puto impendisse, multas pervigilasse noctes, ut doctus evaderet (*sapiens* illa aetate idem erat ac *doctus*, unde francogallica vox *savant*). At quanquam veritatis candidum amatorem se praebuit, *doctorum suorum* exemplis nimium credens antiquam traditionem malis saepe modis est insecutus, et cum vanis grammaticorum fictionibus mira indulgentia egit. « Omnes... res materiales », inquit, « ut lapides et arbores et siqua sunt similia, neu- « tralia dici debere consuerunt » [quidam]. « Inde dice- « bant hic vir, et hæc mulier, et hoc lapis, et hoc domus,

1. Bibliothèque de l'Ecole des Chartes, 1re série, t. II, p. 141, 142; cf. C. Marty-Laveaux, ibid. 2e série, t. V, p. 378.

« et hoc manus. Moneo itaque te, o frater carissime, ut « quamvis non hac nunc consuetudine scribendi utamur, « tamen quia hoc aput veteres pro recto habeatur, siquid « forte huiusmodi scriptum repperieris, licet non ad indu- « bitatam auctoritatem refferendum putes, tamen quia a « veteribus usurpatum est, reprehendere omnino non « debes[1] ». Certe nunquam latina lingua ad eum statum pervenit ubi nunc anglica est, in qua rerum vocabula neutralia sunt; *manus* semper feminini generis fuit, ut hodie sunt italice *mano* et francogallice *main*. Quod cum Virgilius noster sentiret, superstitione tamen quadam motus non ausus est monstra illa verborum, *hoc manus*, repellere, quia a prioribus grammaticis usurpata erant.

Idem aliquando inter varias suorum auctorum opiniones judicare dubitat. « Quod igitur facturus sum, utrisque exis- « tentibus aemulis, utrique positus latere amico, inter « eorum iurgia placere conpulsus[2]? » «Moli » (i. e. *multi*) « ... querimoniantur » (i. e. quaerunt) « cur in ordine « uerborum qualitas primum conponitur... Nonnulli autem « significationem antetullere qualitati... quibus utrisque « ut amicis nec tam contentiosis quam studiosis pro « uiribus satisfaciendum est[3]». « Est et quaedam quaestio « in pronominibus difficilis, et solutionis satis indiga... « Nonnulli pro quodam solatio scribentium ac legentium « tertiam personam... id est suus, communem esse defi- « niunt, ut dicant sic, meus tuus suus, noster vester

1. *Classic. auctorum* t. V, p. 7, 8 ; Appendix ad opera edita ab Angelo Maio, p. 115, 116.
2. Appendix ad opera edita ab Angelo Maio, p. 115.
3. Cod. Parisin. f. 29 v°.

« suus; quibus nec credere nec omnino discredere li-
« center audemus[1] ».

Cum autem non de prioribus aut majoribus natu grammaticis, sed de juniore quodam, quem fortasse discipulum habuerat, agitur, non tam eximia utitur patientia. « Ca-
« vendum est... ne aut vesper, aut vesperum, aut ves-
« pera, pluralem numerum habere putentur. Unde miror
« quomodo quidam procacissime ausus sit dicere vesperes;
« et non solum pluralem numerum contra omnem ordinem
« rationemque confusibiliter adsumpsit, verum etiam ge-
« nus ipsum corrupit, pro neutrali masculinum ponens.
« Sed huiusmodi viri nomen, quia nobilis est et satis
« clarus, et multis forte eius displiceat infamia, manifeste
« prodere nolo; praesertim cum hoc fassus sit, non solum
« audaciter sed et temerarie se dixisse, et faciem suam in
« sinum meum porrexerit. Sed de hoc viro satis sit dic-
« tum[2] ». *Vesper* tamen masculini generis erat.

Judicium Virgilii afferam, in quo satis apparet quorum nitatur auctoritate scriptorum, et quomodo artem nesciendi prudens aliquando adhibeat. « Sunt qui putant pro-
« nominalium » [lege *pronomen alius*] « genetivum casum
« habere, quod putative potius quam rationabiliter usur-
« patum credendum est. Nonnulli enim ita declinandum
« rentur hoc pronomen, alius alius ali. Multi etiam ita
« declinant, alius ali alio. Nonnulli commentabantur alius
« alis sive alionis. Sed haec omnia ex nulla certa auctori-
« tate poterunt adprobari : neque enim Ciceronis, Donis,
« Catonis, Vergilii Asiani aut illius Troiani, aut Galbungi,

1. *Classic. auctorum* t. V, p. 25.
2. *Classic. auctorum*, t. V, p. 10; Appendix ad opera edita ab Angelo Maio, p. 117.

« vel Terentii aut alicuius ceterorum, qui de artibus multa « opera fecerunt, compte et pulcherrime scripserunt, « dicta depromere et ad firmandum hunc casum valebunt. « De hoc ergo pronomine ita sententia servanda est quod « genetivum casum habere non poterit [1]. »

Virgilius videtur nihil legisse praeter Tolosanae scholae grammaticos.

III. Partes tamen Scripturae sacrae audierat, de qua ipse loquitur : « Cum sole illo non temporali orto, sed « vero et perhenni filio Dei, flumen illud *vineum* scriptu- « rae caelestis, *cor hominis*, hoc est totius humani gene- « ris, *laetificantis* omni influxit terrae... [2], cf. Psalm. « CIII, v. 15, Et *vinum laetificet cor hominis.*

« Ne secundum antiquum « sues margaritas calcent » « etenim si illi didicerint hanc sectam non solum... nihil « honoris... inpendent, uerum etiam porcorum more orna- « tores suos laniabunt [3] »; cf. « Neque mittatis margaritas « vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus « suis et conversi dirumpant vos », Matth. VII, v. 6.

« Serpentes et pecora in semplicitate atque pruden- « tia », Cod. Parisin. f. 19 v°; cf. « Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae », Matth. X, 16.

Locum Terentii quem Virgilius citat, Cod. Parisin. f. 37 v°, « facile est uirum uinci uiro uirtutis subito superue- « niente » (cf. Huemer, *Die Epitomae,* p. 527), comparare licet Euangelii sententiis, « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet. — Si

1. *Classic. auctorum*, t. V, p. 26, 27.
2. Ibid. p. 2.
3. Ibid., p. 100 ; Huemer, *Die Epitomae* ... p. 515.

autem fortior eo superveniens vicerit eum... », Luc., XI, 21, 22.

Ejusdem Terentii locus qui affertur, Cod. Paris. f. 24, « quare non accussatis paenitudinem » (i. e. agitis paenitentiam), congruere videtur cum Matth. III, 2 : « Paenitentiam agite. »

Inter grammaticos quibus noster tam unice studebat, quidam, forsitan primi, antiquos verae Romae scriptores melius novisse debuerunt quam Virgilius, ut ipsorum nominum ab eis sumendorum consuetudo demonstrat. Ita explicari potest quare vel apud Virgilium Romanae antiquitatis pauca supersint vestigia.

Quis fuit ille « uir quidam Maro » qui vivebat « prope « diluuium », et « cuius sapientiam nulla narrare saecula » poterunt, a quo Virgilius noster Maronis cognomen duxit, ut vidimus, cap. I, § I? Quicherat censebat eum fuisse P. Vergilium Maronem[1]; recte, ut opinor. Miror tantum cur verbo *diluuium* proprium et vulgarem sensum tribuerit, cum cetera omnia auctorem non recte locutum esse viderit. Hoc vocabulo nativitatem Christi et mundi redemptionem translative exprimi crediderim. Ergo Aeneas, Virgilii praeceptor, aliquid de Mantuani poetae nominibus, aetate et scientia audierat; quod minime mirandum est, cum illius gloria tunc temporis apud grammaticos potissimum vigeret[2].

Qui *primus* scripsit sententiam quam Virgilius non ut suam refert, et de qua supra dictum est (cap. II, § 1)

Qui favum mellis non amat, odit tua carmina, Maevi,

1. Bibliothèque de l'Ecole des Chartes, 1re série, t. 2, p. 141.
2. Cf. *Virgil im Mittelalter von Domenico Comparetti* ... übersetzt von Hans Dütschke, p. 110 sqq.

certe P. Vergilii versum noverat

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi,

quem ita detorsit ut de Maevio recentiore grammatico, « viro in carminibus dulcissimo », intellegi posset.

Quid vero dicendum est de sequenti loco, qui legitur, in *Appendice ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 165? « Erat « aput Nicomediam Balapsitus nuper vita functus, qui « nostrae legis libros, quos ego in graeco adion » (lege *habui*) « sermone, me iubente vertit in latinum, quorum « est principium : in principio caelum terramque mare « omniaque astra spiritus intus fovet. » Habemus hic versum heroicum :

Principio coelum terramque mare omniaque astra.

Mihi quidem videtur Balapsitus in primo Genesis capite latine reddendo imitatus esse P. Vergilii versus,

Principio coelum, ac terras, camposque liquentes
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit.
(Aen., l.VI, v. 724-726).

Inter versum Balapsiti qui antiquum rhythmi morem observat et carmina Maevii quae, ut jam vidimus, recentiores leges sequuntur, medium tenet versus graeci (lege *Gracchi*) oratoris,

« Bella Gallorum toto concessent in orbe. » [1]

qui, ut animadvertit Huemer, hexameter est, sed auribus vulgi accommodatus.

IV. Quae ad historiam spectant, apud Virgilium raro vere referuntur, ut in exemplo sequenti : « Cum ... Scipio

1. *Classic. auctorum* t. V, p. 59.

« Affricanos et bello uicisset et in dedicionem recipisset « et ipse Scipio Affricanus ductus » (lege *dictus*) « est »[1].

Ceterum de historicis rebus aut eosdem affert auctores, quos de grammaticis citat, aut nullos :

« Secundum illut Œneae, ita dicentis : Annibalem « legitur in die belli dixisse pro tricentorum uirorum « potentia armisque hodie meme utar »[2].

« Secundum illut Galbungi ubi de Turno quassum « facit : At uero, inquid, rex Turnus ne populum incas- « sum pro fligare » (i. e. *profligaret*) « nec urbem Fide- « nam perderet, pro liantes » (i. e. *proeliantes*) « pene « sedauit animos »[3].

« Ut in suis carminibus unumquemque uersum suo « reddat iuri, ne sicut rex Alaxander Macido cuidam « sibi laudis carmina decantandi » (i. e. *decantanti,*) « audenter exprobrauit, suo uitio preciosarum sit furca- « tor » (lege *fuscator?*) « margaritarum »[4].

« Quia hic » [Latinus] « Beli cuiusdam regis temporibus « fuerit et longe ante linguarum retro acta diuissio fit » (i. e. *sit*) « negare cogimur latinitatem ut pute » (i. e. *utpote*) « antiquiorem ex ipso Latino usurpauisse uocabu- « lum. »[5] Qui locus non congruit cum codice Angelico : « *Latinus, a quo latinitas.* Is centenos habuisse fertur « annos. Hic vir magnus fuit, et potens belli regiis tem- « poribus »[6].

1. Cod. Paris., f. 20 v°.
2. Cod. Paris., f. 31. Hanc sententiam componere licet vulgato apud recentiores Vasconenses proverbio : « Saepe unus homo centenos aequat, centeni non unum ».
3. Ibid., f. 13 v°.
4. Ibid., f. 20.
5. Ibid., f. 11 v°, l. 19-23.
6. *Caelii Sedulii opera* ... p. 426 (in appendice).

V. Virgilium puto in summa omnium linguarum, praeter latinam, ignoratione versatum esse, quanquam de graeca et de hebraica saepe loquitur.

Sed ut in litterarum historia, ita et in linguis doctiores amicos et magistros noverat ac legerat : jam dixi Balapsitum, eo jubente, libros a graeco sermone in latinum ipsi vertisse (cap. II, § IV). Vidimus etiam (cap. I, § 3) Reginum Cornelium ab eo appellatum esse « graecae et hebraicae linguae promptissimum interpretem. » Immo Virgilius Asianus asseritur composuisse graecum librum quem tertius ejusdem nominis grammaticus tradit latine versum « a Galerio nostri temporis grammatico » [1].

Quare minime est mirum quod noster declarat : « Cum haebream grecamue transaedere » (Cod. Neapol. *transsedere*) « uolueris, hanc omnibus modis loquelis orationibus « syllabisque latiorem ossen dies » [2] (Cod. Neapol. *offendies*, i. e. *offendes*); quod non ex sua, sed ex suorum experientia videtur assumpsisse.

Inscitia graeci sermonis apud Virgilium haud raro deprehendi potest. Huic linguae prorsus hebraicum vocabulum adscribit : « XII signa principalia supputantur « quae groeci ma zoron uocant » [3]; *mazoron* autem, in codice Neapolitano *mazaron*, idem est ac μαζουρώθ, qua voce Septuaginta interpretes pro ζῳδιακός usi sunt. [4]

Cum de novo rhythmi genere, quod in latino sermone tunc obtinebat, comparando cum prisca metrorum ratione ageretur, quae Graecorum metricae arti similis, sed Virgi-

1. *Appendix ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 135.
2. Cod. Paris., f. 11 v°, l. 25 — f. 12 l. 1.
3. Cod. Paris., f. 18 v°.
4. Huemer, *Die Epitomae*, p. 513, in nota.

lio, ut supra dixi, omnino ignota erat, difficilem his verbis elusit quaestionem : « De cro ecis » (lege *groecis*) « autem « metris quorum natura dissimilis est et longe versa » (i. e. *diversa*) « nihil hiic disputare necessarium reor cum « latinum opus efficiam. »[1]

Graeca vocabula nonnunquam parum recte affert, ut « aput Grecos elium sol dicitur »[2], ubi *elium* pro *helios* est ; aut non tantum *parce detorta* in latina sententia ponit, e. g. « Sunt quœ tetra cassibus declinantur. . . sunt etiam quœ penta cassibus utuntur »[3]. *Tetra* indeclinabile sicut *quattuor*, et *penta* pro *pente* i. e. quinque inepte sumpta sunt a compositis *tetrametrus* et *pentametrus* versus, quae voces leguntur, Cod. Paris., f. 19 v° (*et [t]etrametrus*).

Legimus in codice Parisino, fol. 15 v° : « trifonos ... versus » ; verbum *triphonus* a graeco τρίφωνος assumptum est. Cum autem pro genuino haberetur, grammaticus quidam, forsitan noster, hanc compositionem imitatus est vocabulo *quadrifonus*, quamvis *quadri-* pro *quadru-* ad solam latinam linguam pertineat, nec ad graecam simul, ut *tri-*. Inde « qua drifonos uersus » et « quadrifonis ... uersibus », in cod. Paris. f. 15 v°. Postea successit simplex *fonum* pro *phona* (φωνή) : « nullum fonunum » (lege *fonum*), Cod. Paris. f. 14 v° ; « extrema foni parte » (ibid.) « trea fona » f. 39 i. e. tria verba ; « fonorum » f. 15 v°, i. e. sonorum ; etc.

Notandum est etiam adjectivum plurale « ogduades orationum » (lege *orationis*) « partes. »[4]

1. Cod. Paris., f. 19 v° — f. 20.
2. Ibid., f. 18.
3. Cod. Paris., f. 27 v° ; tetra casibus, penta casibus, *Anecdot. Helvet.*, p. 137.
4. *Appendix ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 114.

Librario forte addicendus est error scribenti « et sic per « cetera pana », Cod. Paris., f. 14 v°, sub fine, pro *panta*, ut opinor, i. e. πάντα; cf. *pantes,* gl. omnes (*The Luxembourg folio,* in *Revue celtique* I, 349, l. 1; codex ille saeculo nono scriptus arcanae latinitatis est documentum, qua Virgilius aliquando usus est).

Reliqua quae in codice Parisino leguntur praecipua graeca vocabula sequuntur :

« Est et alia filosophiœ ars quœ astronomi nunc cu- « patur » (i. e. *astronomia nuncupatur*) « quam mahtes- « sint graeci uocant » f. 18 v°; *mahtessint* pro *mathesin*, i. e. μάθησιν?

« Per cronicen » f. 37, i. e. chronicam.

« Grama est litteraturœ peruidatio », f. 17, i. e. littera, γράμμα; cf. « grammulis » f. 12 v° l. 16, i. e. litteris.

« Syllabae monas senas litteras transcendere non debent « ut scrobs », f. 14. *Monas* i. e. solas, μόνας?[1] quam vocem crediderim a composita *monosyllabus* extractam esse. Haec invenitur scripta *monasyllabœ*, Cod. Par. f. 23, 24 v°, per *a* pro *o*, ex analogia formarum (*t*)*etrametrus, pentametrus, exametrus, eptametrus* (Cod. Par. f. 19 v°).

« Aut agapeta » (sunt adverbia) « ut pro inuicem labo- « ramus », f. 38; *agapeta* i. e. amabilia, ἀγαπητά.

In verbis quae Virgilius undecim latinitatibus tribuit, quae a grammaticis ejusdem scholae effictae erant, paucissima reperio quae a graeca lingua deduci posse videantur, ut *bectan*, centum (*Appendix ad opera edita ab Angelo Maio,* p. 164; *Caelii Sedulii opera,* p. 426);

1. De vera hujus sententiae interpretatione dubium afferunt codicum ceterorum lectiones quas Huemer dedit, *Die Epitomae*, p. 533.

pro **hecton*, i, e. ἑκατόν? *B* enim pro *h* aliquando scriptam inveni, ut « *rebtorum* », cod. Paris., f. 14 v°, i. e. rehtorum, pro rhetorum.

VI. Viro docto Huemer videtur Virgilius peritior fuisse hebraicae quam graecae linguae (*Die Epitomae*, p. 514); cui assentire non possum. — Multas enim graecas voces quae in latinum sermonem transierant, eas praesertim quae ad artes spectant, noster intellegebat; sciebat *thronum* verbum a graeca lingua transsumptum esse[1]. Quid autem de hebraica noverit, praeter pauca vocabula, non perspicio. Duo tantum in codice Parisino explicantur:

« Cum elimentum non nisi ẹtreum quasi diuinum aliquid « uocandum sit, hel enim aput ebreus deus erit unde et « aput grecos elium sol dicitur », f. 18; *hel* i. e. *el*, deus.

« De re autem et corpore multi hœssitant; res ebrea « littera est quœ interprẹtatur caput, res ergo hoc est « quod et primarium nomen », f. 20 v°; recte, quod ad hebraicam linguam pertinet.

Aliud ejusdem linguae vocabulum bene citatum legitur in *Appendice ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 161: « cœlum ab Hebraeis aquarum collectus שמים dicitur ».

Plura mihi videntur exstare hebraica verba quam graeca in undecim latinitatibus inusitatis quas Virgilius laudat, non autem ipse excogitavit. Ex eo fonte orta esse possunt:

Colephin, mille (*Appendix ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 164), hebraice אֶלֶף, אֲלָפִים

1. « Loci ad sedendum parati, quod graece dicitur thronus ». *Appendix ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 116.

Torlasin, triginta (ibid.), a verbo *tor*, tres, ibid., et ultimis syllabis hebraici vocabuli שְׁלֹשִׁים triginta?

Sade justitia (*Caelii Sedulii opera*, p. 427), *sabin* (*Appendix ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 164), ex hebraica voce צֶדֶק?

VII. In *Grammatica celtica*[1] legimus : (apud Virgilium grammaticum) « nec inveni vocem celticam nec invenio ». Contra vir eruditus Roget Baron de Belloguet censebat aliquot verba arcanae latinitatis quae noster affert originis esse gallicae. Quae autem opinionis suae argumenta dedit, vocabula illa cum linguis celticis comparans[2], nullius sunt momenti, cum sonorum fata et historiam prorsus neglexerit.

Non negare ausim celticas voces reperiri posse in operibus Virgilii grammatici, at certe paucissimae tantum adsunt quas hodierna scientia sine ulla dubitatione deprehendere valeat. Duas tantum afferre sustineo.

« Bestia dicitur de bessu, hoc est de more feritatis » (*Appendix ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 162). Vox *bessus* in hac etymologia videri potest ab auctore non in inusitatis latinitatis generibus reperta esse, sed in quadam lingua cujus aliquot verba audierat. Fortasse vox illa non « morem feritatis », sed tantum « morem » significabat. Revera *bessus* celtica lingua « mos » esse debuit, unde hibernice *bês*, quartae latinae declinationis vocabulum, et aremorice *boas* idem sonant[3].

1. Editio altera, curavit Ebel, p. XXXII-XXXIII.

2. *Ethnogénie gauloise...* Introduction. — Première partie. Glossaire gaulois, 2e édition. Paris, 1872, p. 245-247.

3. H. d'Arbois de Jubainville, *Etudes grammaticales sur les langues celtiques*. Paris, 1881, p. 14.

« Bellum autem non nisi in belsa hoc est in campo agi-
« tur ; belsa enim ob hoc dicitur quia belsa plurima quæ
« sunt gram na » (i. e. *gramina?*) « pro fert ». Cod. Paris., f. 17 v°. Habemus hic verbum *belsa* quod, ut *bessus*, in nominis interpretatione Virgilio occurrit. Porro *Belsa* et geographica vox est, hodie *la Beauce*[1], cui interpretatio « campus » natura haud absurda videri possit, quamvis aliunde non probetur.

De ceteris linguis apud Virgilium Maronem nihil constat. Roget de Belloguet verba quaedam ab eo allata iberica esse contendit, in loco quem supra citavimus; minime autem comprobavit.

1. Cf. « per Belsa » (i. e. per Belsam). *Venanti Fortunati opera pedestria*... recensuit et emendavit Bruno Krusch, Berolini MDCCCLXXXV in *Monumentis Germaniae historicis*, t. IV, p. 22 l. 8.

CAPUT TERTIUM

DE VIRGILII MARONIS LATINITATE.

I. Quae de latina lingua noster tradit, docet aut suo ostendit exemplo, in tres partes distribui possunt :

1. Ea quae vulgari Aquitaniae latinitati sexti vel septimi post Christum saeculi tribuenda sunt;

2. Quae latinitatis genuinae fuerant;

3. Quae a grammaticis Tolosanae scholae aut detorta aut omnino efficta erant.

Forsan et quarta series esset distinguenda quae ceterarum ejusdem aetatis linguarum proprietates quasdam contineret; quod non liquet.

Haud rara sunt Virgilii judicia quae cum scribendi ratione litteratorum augusteae aetatis congruunt. Cum autem ipsorum opera in manibus non haberet, et multi grammaticorum quos sequebatur paucissimas auctorum legissent paginas, quorum nomina assumpserant, noster, in latinitate judicanda nullo fretus erat auxilio nisi quadam scholarum traditione, et comparatione usus vulgaris. Itaque ei difficillimum fuit priscam latinitatem a recenti, immo latina vocabula a barbaricis seponere. Adde quod duas virtutes usque ad vitium et stuporem perduxit, reverentiam scilicet *doctorum suorum* (cf. cap. II, § 2), et latini sermonis admirationem. Nescio an sapientem Seduli sententiam semper secutus sit, dicentis. « Nulli... fas

« est, praeter usitata verba, aliquid eloqui sine exemplo »[1]; at fere quidquid a magistris aut amicis suis vane effictum erat, latinum sermonem ornare et ditare censebat, aut saltem ad tegenda doctrinae mysteria utilissimum putans, contra profanos nonnunquam acerrime defendebat.

« Respondendum reor hiis qui nos profano et canino « ore latrant ac lacerant, dicentes nos in omnibus artibus « contradicos videri nobis invicem, cum id quod alius « affirmat, alius destruere videatur, nescientes quod la- « tinitas tanta sit et tam profunda, ut multis modis ac « fanisfaris explicare sensibus necesse sit. Quis enim la- « tinitatem sensatus putet tam angustam haberi tamque « artatam, ut unumquodque verbum uno tantum fario « unoque sensu contentum esse videatur? Praesertim cum « latinitatis ipsius genera duodecim numero habeantur, et « unumquodque genus multas in sese complectatur ar- « tes »[2].

Interdum tamen suorum fictiones reprehendit : « Sunt « qui... *fœde*... scribendi hoc moderantur modo, di- « centes vinvinco » [pro vinco vinco] « et in praeterito « vivinci ; et sic dicio et dixixi ; legego et legegi.... ut « pro clamito et vocito habeant clamamo et vocaco[3] et « sic... clamamavi et vocacavi. Quod quia *nulla verita- « te subnixum atque suffultum est*, non ad auctoritatem « sed ad ambiguitatem scribendum est. Solent tamen « nostri paene omnes in suis scriptis... verba conserere, « quae *vitioso consuetu* tam a veteribus quam etiam a « recentibus scribtoribus inserta sunt multas ut reor ob

1. *Appendix ad opera edita ab Angelo Maio* p. 131.
2. *Appendix ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 127.
3. Cum his formis conferre licet δοκιῶ apud comicos graecos, pro δοκῶ.

« causas... ut scilicet lectores impediant ... vel certe « ut hac difficultate audientium ac legentium animos ex- « citent. »[1] Infinitivum pro ceteris conjugationis formis tradit poni « secundum vitiosam consuetudinem »[2], etc.

De quattuor, quae modo dixi, Virgilii documentorum generibus pauca tantum exempla proferam, multo pluribus omissis, de quibus jure dubitari potest, ex quo fonte orta sint.

« Quaestio nobis ingeritur cur uni nomini nominativus « singularis casus repperiatur duplex, cum per omnes « casus una eademque sit declinatio, ut dicimus sepe » (lege *sepes*) « sepis et seps sepis... item preces precis, « prex precis, sedes sedis, et ses sedis, et cetera. Hoc « maxime propter metrorum necessitatem, pedumque men- « surandorum ac temporum positionem, accipitur. Hoc « tamen sciendum, quod quoties dicatur sepes, lapidum « ostendatur materia : cum autem scribatur seps, ligno- « rum semper erit. Sic cum dicis preces, impudica et « procax erit et malae rei maxime postulatio : et prex ad « bonam semper partem dirigetur. Sic et sedes cum dica- « tur, simplicis et qualiscumque loci est, cui quis insi- « deat : at ses, alterius conpositionis altiorisque loci ad « sedendum parati, quod graece dicitur thronus : unde et « qui in eo sedet thors, id est rex, nominatur... Immo « hoc addimus quod tres vel quattuor declinationes pleris- « que nominibus eveniant, sicut est laetitia, laetities, « laetamen. Sed quaedam eorum discretionem habent, « quaedam vero propter solam inventionem scribi dicun- « tur ; quod tamen a plerisque doctorum fieri omnino pos-

1. *Appendix ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 129, 130.
2. Ibid. p. 135.

« se negatur, adfirmantium nullum penitus nomen aut « verbum aut aliquam orationis partem, immo nullam « paene syllabam aut litteram scribi non ratione plenam, « vel quadem sui proprietate, potuisse »[1]. Cf. Epist. II, 6 : « Nonnulli... infinitum esse » [pronomen *iste*] « cum « quadam defensionis suae auctoritate hortantur, ut ego « iste..., quod tamen in nostris lectionibus non tam « prompte nec parate in usu habitum repperimus : uno « etenim tantummodo in loco hoc legi, cum Cato dixerit : « ego iste qui locutus sum : quod utrum recte an secus « posuerit, non est iudicii mei decernere aut definire : « cum tam multa sit et copiosa latinitatis totius regio, et « ut ita dicam pelagus immensum, ut discerni omnino « diversitates ipsius et nolle » (i. e. *multæ*) « adinven- « tiones et incognitae, ut putantur, a nemine ad liqui- « dum possint »[2].

Vides hic errorum fontes abundantissimos : seniorum auctoritatem, qui ipsi aut parvam admodum aut nullam Romanorum scriptorum notitiam habebant ; et nimiam latinae linguae mirationem, cujus ne una quidem littera sensu proprio carere posse videbatur. Cum latino sermoni vitio verti posset *preces* nominativum singularis numeri non habere, grammatici qui antiquorum auctorum fere nullum legerant, casum illum bona fide effinxerunt, *prex*, ad instar nominis *reges, rex*, et *preces*, secundum nomen *sepes*. Postea *sepes* ex exemplo nominum *prex*, *rex*, factum est *seps*, et *ses, sedis*, secundum *pes, pedis* ; quas formas poetae « propter metrorum necessitatem » adhibuerunt; alii vero grammatici, ut Virgilius noster, dupli-

1. *Appendix ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 8 et sq.
2. *Classic. auctorum*, t. V, p. 26.

cem unius nominis formam nacti, aliquam sensuum distinctionem inesse persuasum habuerunt et explicare laboraverunt; in talibus porro studiis quicumque quaerit, aut invenit, aut invenisse putat. Nomen autem insolentius *thors* « rex » ab eo quod est *thronus* consulto extractum est, forte etiam bona fide, cum ejusmodi grammatici vera latina vocabula a graecis verbis sine ulla lege derivata esse censerent; aut in aliqua Barbarorum vigebat lingua, quae ad aures istorum perveniebat. Quod tamen mihi parum verisimile videtur ; libentius crederem Virgilium veras arcanae latinitatis etymologias referre, quas ab ipsis auctoribus traditas audire potuit. Has origines saepe a latinis vocabulis ducit, recte, ut aliquando perspici potest. Quaedam alia latinitatis abstrusioris verba talem quoque originem prae se ferre manifestum est, ut *dun* duo, *tor* tres, *quir* quattuor (*Appendix ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 164; *quur*, *Caelii Sedulii opera*, p. 426); *quan* quinque (*App.* p. 164; *quam*, *Cael. Sed. op.* p. 426); *ses*, sex (*Cael. Sed. op.*, p. 426); *sen* septem (ibid.; *sem App.* p. 164) *onx*, octo, etc.

II. Perquam arduum esset requirere, quoties in nostri codicibus verbum aliter scriptum invenitur quam apud latinos Romanae antiquitatis auctores, utrum insolentior forma a Virgilio fuerit adhibita, an aliquo librarii errore irrepserit. In codice Parisino permulta sunt menda quae ad scribam, non ad Virgilium pertinere certum est; quorum praecipua referre operae pretium esse puto, quippe quae ad incertiora explicanda non nihil valere possint.

LITTERARUM CONFUSIONES.

Plurabi pro plurali, f. 25 v°.

rebtorum pro rehtorum, f. 14 v° ;
diesimili pro dissimili, f. 19;
eon pro con, f. 39 v° ;
faeta pro facta, f. 18 v° ;
homine pro nomine, f. 30;
carent pro careat, f. 27;
nentoria pro rehtoria i. e. rhetorica, f. 16 v° ;
sentimus pro septimus, f. 24;
pationem pro rationem, f. 19 v°.
(ex cepto [lege *certo*] loco hoc est re*cepta*culo exercitus, f. 17 v°);
&plectiua pro expletiua, f. 39;
ossen dies pro offendies i. e. offendes, f. 12, l. 1 ;
cosectum pro confectum, f. 15;
coniunctiorum pro -num, f. 30 v° ;
platoris pro Platonis, f. 24;
nuua pro nulla, f. 13 v° ;
questiunculum pro -lam, f. 29 v°.

LITTERAE ITERATAE AUT AD PROXIMAS ACCOMMODATAE.

parari pro pari, f. 15; prononomini, f. 29 ; maiororum f. 16 v° ; fonunum pro fonum, f. 14 v° ;
omnis syllabis pro syllaba, f. 14; quodammodam pro quodam modo, f. 19;
sciscientem pro discientem, i. e. discentem, f. 23;
quamodoportumum pro quam id oportunum, f. 17 v° ;
latina hœc summa generum, pro latinitatis, f. 12, l. 27.

LITTERAE OMISSAE.

Ne...nec pro nec, f. 23 v° ;
quo pro quod, f. 26 v° ;

hticam pro ehticam, i, e. ethicam, f. 18 v°; in calo pro in caelo, f. 29;

estiatur pro estimatur, f. 20;

expedunt pro expendunt, f. 11 v°, l. 14;

igis pro ignis, f. 19 v°;

itermiseris pro int-, f. 23 v°;

omniumero pro omni numero, f. 13 v°;

uirtute manciscitur pro -tem nanciscitur, f° 12, v°, l. 2;

primo dio pro primordio, f. 20 v°, patib : pro partibus, f. 26 v°, uebo pro uerbo, f. 25 v°, refetur pro -rtur, f. 17 v°, inte pro inter, f. 26 v°;

bipititae pro bipertitae, f. 20;

cribi pro scribi, f. 27, cola pro sc(h)ola, f. 34 v°;

men pro mens, f. 19; latinitati pro -tis, f. 20;

dans ærminum pro terminum, f. 29;

nus quisque pro unus, f. 29 v°;

uersuum, f. 20, acc. sing., pro uersum (uersum, ibid.);

or pro orta, f. 11 v°, l. 17;

rur pro rursus, f. 14, sub fine;

singula pro singulari, f. 24 v°;

non num pro non numquam, f. 22 v°;

uer pro uerbi, f. 35 v°;

deptun pro deptungo, i. e. diphthongo, f. 14;

nomi pro nomina, f. 20 v°;

gene pro genere, f. 22 v°;

uarissi pro uari(i)ssimis, f. 20;

cantaummo dulatu pro cantilenarum modulatu, f. 15;

declinanes pro declinationes, f. 25;

compo pro computo, f. 14 (cf. conputo, ibid.);

sepandi pro separandi, f. 34;

ortur pro ornatur, f. 29 v°;

carginiensis pro carthaginiensis, f. 29;

imperis pro imperitis, f. 37; infiniuo pro infinitiuo, f. 37 v°.

Multa horum mendorum orta videntur ex scriptionis compendiis quorum notam librarius suprascribere omisit; alia vero ex similitudine litterarum, ut « sep*a*(*ra*)ndi. »

VARIA QUAEDAM.

deprędítur pro deprēditur, f. 23 v°, cf. deprehendimus, f. 35;

dicit qui, cum duabus notis super *i*, pro dicitur qui, f. 12 v,° l. 5; mordatrix pro moderatrix, f. 17;

spupono pro suppono, f. 34;

dicnus pro dicimus, f. 32;

participatum pro principatum, f. 29 v°;

aperisti pro aperisq : i. e. a plerisque, f. 29 v°, cf. a plerisque, f. 33 v°;

deffendentiamque pro differentiamque, f. 16 v°;

pręcęponi pro praeponi, f. 28;

congregrans pro congregans, f. 19, cf. congregandœ, f. 23 v°;

uirgilias pro uigilias, f. 28;

superalatiuo (ex analogia verborum super et supra);

conpugito, f. 17 pro cogito, ex analogia verborum computo et cogito; in *Appendice ad opera edita ab Angelo Maio,* p. 159, legitur *pon pigito*.

comparatium gradus pro comparationis, f. 11, l. 21;

ppæs pro propter, f. 12, l. 1;

ae qui parauissem emini, f. 12 v°, l. 4, 5, pro aequiparauisse memini.

III. Nunc venio ad peculiares verborum formas quas in codice Parisino collegi et a Virgilio grammatico

adhibitas esse credibile est; asteriscum tamen praeposui iis quae fortasse librarii pronuntiationem, non ipsius auctoris praebere possunt.

ORTHOGRAPHICA ET PHONETICA.

A pro e: necessa f. 27, *a*geat f. 31, al*a*xander f. 20;
a pro æ: mea (gen. sing. fem.), f. 23 v°;
a pro ia: aduerb*a* f. 38, omna f. 20 v°;
a pro ua: s*a*ui f. 17 v°; cf. latinam vocem *saviari*, et « Februarius, non Febrarius » in *Appendice Probi*; ita *battuere* factum est **battere*, unde nunc dicimus *battre*.
Al pro au: pal culis pro pauculis, f. 13, l. 4; in codice Vindobon. palculis, in Neapol. pavculis (Huemer, *Die Epitomae* p. 530). Cum prioribus formis conferenda est vox *palmentum* quae in plebeio latino sermone exstabat[1], pro *paumentum*[2]=*pavimentum*, et etiamnunc viget in cambrica lingua (*palmant*)[3]. Quomodo *au* in *al* transire potuit? Ex analogia, ut opinor, mutationis inversae soni *al* in *au*: cum enim dicerent *calculus* et *cauculus*[4], nec scirent utra forma prior esset, accidit ut quidam et *palculi* pro *pauculi* pronuntiarent, in ea forte opinione, se ita antiquius aliquid et elegantius eloqui.
ae pro a: *aeries f. 22 v°.
ae pro e: aebreorum f. 11 v°, l. 2, haebre am f. 11 v°, l. 15, mobiles quae f. 13, l. 6, i. e. mobilesque,

1. Schuchardt, *Der Vokalismus des Vulgærlateins*, III, 301.
2. Ibid., III, 306.
3. John Rhys, *Archæologia Cambrensis*, The journal of the Cambrian Archæological Association, vol. VI, fourth series. London, 1875, p. 136.
4. *Der Vokalismus des Vulgærlateins*, II, 494.

caelsa f. 11 v°, l. 5, aedi f. 15, i. e. ēdi, a verbo ēdere ; aeclesiœ f. 25 (in loco Oratii).

ae pro ea : daelectica arte f. 18 pro dealectica i. e. dialectica.

æ pro e : impræsso f. 23, omnibus superæquitat f. 22, interprætationem f. 20 v°.

e pro a : *hebentur f. 27 ; teneciter f. 19 ; explenationem f. 29.

iectant f. 17 v°, iectu f. 17 ; cf. francogall. *jeter*, *jet*.

e pro ae : nostrae... litterature, f. 11, l. 3 ; grecamue f. 11 v°, l. 25, quesiuere f. 29, persepe f. 21, estimantur f. 32, cf. aestimentur f. 37.

e pro i : dealecta f. 17 i. e. ars dialectica ; trea f. 15, 20, 26 ; cf. *trea*, Rœnsch (*Itala und Vulgata*... zweite Ausgabe, Marburg, 1875) p. 463.

retenet f. 26 v°, obteneant f. 39, cf. contenebit, Rœnsch, p. 466.

subiecere f. 11 v°, l. 5 ; transeget f. 16 v° ; possedent f. 29 v° ; impeger f. 23 ; dilegere f. 30 v° (in loco Cornilii.)

deminutiua f. 21 ; deffert f. 19, defferentiam f. 17 v° ; destat f. 16, degerendam f. 29.

habeto suspirio f. 23 v°, facilleme f. 35 v°, itenere f. 32.

regenae f. 14.

lenias f. 18 v° (lineas, *Classic. auctorum* t. V. p. 115) ; uendicat f. 30 ; helarus lucani frater f. 30 v°, uedentur f. 25.

e pro ia : duas efficientes f. 39 v°, i. e. efficientias.

e omissa : aetreae f. 11 v°, l. 8, aetrea f. 11, l. 14, -ae l. 18, -am l. 25, ętreum f. 18, i. e. æthereæ, etc. uetribus f. 24 v°, i. e. veteribus.

ę pro ae : quę f. 11, l. 15.

ę pro ea : dęlecta f. 16 v°, pro dealecta, i. e. ars dialectica.

ea pro a : nomineatiuo f. 24 v°.
diminutiuea f. 21.

ei pro i : * limeitibus f. 29 v°.

i pro a : mordicitatem f. 17 ; silet f. 12, l. 25, i. e. salit.

i pro e : diclinantur f. 24 v°, distructiuo f. 39 v°, distruit f. 35, diriuatum f. 11 v°, l. 24, 25, -tur f. 17 v°, -ntur f. 21 v°, diriuatiua f. 21, difinitur f. 30, diffiniant f. 38 (quod librarius primum scripserat *definiant*), difinimus f. 33 v° ; desinunt f. 21 v°, *i* supra *e* scripta ; cf. diffinire, diffinitio, distruere, etc., Rœnsch, op. laud., p. 464.

discritionem f. 16, -nis f. 16 (discretionem f. 23 v°), centinarium, f. 11 v°, l. 19, dulcidinem f. 11, l. 8, accipere f. 30, iuxta morem conplitoriorum f. 35 v°, Cornilius f. 30 v°, catinę f. 38 v°, i. e. catenæ.

genialogiœ f. 25 v°, eliganter f. 28 v°, elimenta fol. 18, macidonicus f. 21 v°, sictis f. 21 v°, decim f. 34 v°, penitrare f. 34, sterilia (*i* supra *e* scripta) f. 19 v°.

liquiscit f. 13, cf. invaliscere, Rœnsch, op. laud. p. 463. « Formam quoque inchoativam dualem esse dicebat » [Regulus] « ut calesco calisco », *App. ad op. edita ab Angelo Maio,* p. 131. Ergo grammaticus ille duas notaverat ejusmodi verborum pronuntiationes.

i pro ie : meditas f. 22 (medietates f. 14 v°), specibus f. 21 (speciebus f. 20).

i pro ii : ali f. 25 i. e. alii, nominat. plur. ; studis f. 29, i. e. -diis.

In capite septimo primae Epistulae quaerit Virgilius

quorum nominum genetivus in *i* terminari debeat, quorum autem in *ii*, et recte litem judicat, quamvis *i* in domin*i*, styl*i*, brevem esse existimet; revera in ea aetate brevis pronuntiari potuit, cum nunquam accentum habeat.

Rursus de *ii* et *i* disserit, Epist. I, 14 : « Veteres « nostri nos ita docuerunt, ut nullus ablativus casus in « . is. syllabam terminatus produceretur, excepto cum « per duo .i. scriptus est, ut radiis, copiis, gaudiis, « brachiis... et ceteris : at scholis, globis, modis... et « ceteris, omnia huiusmodi verba ablativo semper « corripi debere censebant. Caeterum novis scholis « supervenientibus alia sententia supervenit. Dicunt « enim quod omnis dativus et ablativus casus pluralis « in . is. syllabam terminatus longus semper natura « sit. Quid ergo facturi sumus, et quid ponemus dis- « criminis inter illum ablativum pluralem qui per duo .i. « necessario terminatus est, et eum quem natura longa « esse metrici affirmant ? »[1] Et discrimen aliquod in pronuntiando fieri jubet, ut recentioris scholae metricis satisfaciat, qui, ut opinor, verae antiquitatis auctoritate freti, vulgari usui contradicebant.

i pro o : utr*i*bique f. 17 v°.

i omissa : *aephtoma f. 26 v° (aepithomae f. 11, l. 2), pro certate f. 12 v°, l. 8, i. e. proceritate, *transtorie f. 17, i. e. transitorie. Cf. *spaniensis vir* (*Classic. auct.*, t. V, p. 12), Spania, Spanus, Roensch, op. laud., p. 469, anglice *Spain*, etc. Cum duae formae *scala* et *iscala* in vulgari sermone exstarent, prior autem a doctioribus

1. *Classic. auctorum*, t. V, p. 17, 18.

usitata esset, vulgus pronuntiationem *Spania* pro *Hispania*, haud scio an elegantiae causa, usurpavit.

i addita : car*i*mina f. 20 (carmina, ibid.) ; cf. op*i*tuma, etc., Rœnsch, op. laud., p. 525.

y pro e : tyrrentio f. 31 (Terentius f. 14).

ia pro i : *common*ia*toria... verba f. 23 ; *per uia cax f. 18, i. e. peruicax.

ie pro e : nasciens f. 25 v° ; ossen dies f. 12, l. 1, i. e. offendes.

ii pro i : o filii (sing.) f. 23 v°.

o pro e : *num*o*ro f. 24 v° ; u*o*lox f. 22 v° ; cf. volocitate, in codice nono saeculo scripto (Bruno Krusch, *Venanti Fortunati opera pedestria*, p. XXIV).

o pro oe : *pro liantes f. 13 v° (in loco Galbungi), pro prœliantes.

o pro u : iocundum f. 30 v° (in loco Cornilii), cf. iocundus, Rœnsch, *Itala und Vulgata*, p. 465 ; iucondam f. 16 ; at iucundissimum f. 30 v°, in loco Cornilii ; secondum f. 20 (in loco Aeneae), f. 23, -dœ f. 26 ; at secundum f. 28 v° ; incol*o*me f. 14 v° ; guttori f. 29 v°, cf. guttore, *Etudes paléographiques et historiques sur des papyrus du* VI*e* *siècle*, Genève 1866, p. 24, l. 17 (L. Delisle) ; comm*o*nia f. 20 v°, f. 22 ; cõm*o*nis f. 30 v° ; comm*o*nicatiuus ibid., commone f. 22 ; inmotata f. 20 v°, motationem, motabunt, f. 13 v°, motant f. 23, motantur f. 14, inmotant f. 33, motatur f. 33, motatis f. 36.

o pro vo : *passio f. 33, pro passiuo ; videsis u pro vu.

oe pro u : utpoeta f. 25 v°.

œ pro a : *propriœ... nomina f. 20 v° ; *hœc... ratione f. 26 v°.

œ pro ae : aeclesiœ f. 25 in loco Oratii, etc.

œ pro e : propriœtas f. 20 v° ; in capitœ f. 30 ; censœbat f 29, cœlsis f. 11 v° l. 4, 5.

œ pro i : inprœmere f. 23.

u pro o : ut *pu*te f. 11 v°, l. 21-22, utp*u*te f. 29 v°, f. 19; p*u*tius f. 11 v°, l. 23, f. 18 v° ; humerus f. 23 i. e. Homerus ; el*u*cutione f. 18 ;

nun f. 35 v°, nunnulli f. 26 v°, cūmonia f. 35, cumplexi f. 26 v°, in prẽptv f. 29. p*u*lluens f. 34 ; nubilitate f. 19 v°, munilibus f. 39 v°.

u pro vu : possitium f. 11, l. 22, nominatius f. 24 ; cf. avus, non aus, *Appendix Probi*. Tales autem formae forte librario, non Virgilio tribuendae sunt, cum ipse scripserit : « Dicunt etiam cerus pro cervus ; et sic « tamen declinant : cervi, cervo, et cetera : et tamen « peregrinum, tamque barbarum est, ut unde allatum « sit, intellegi non possit »[1]. Quae dicendi et scribendi consuetudo *us* pro *vus* in vulgari Latinorum lingua obtinebat ; ut multus probatur titulis[2].

A*u*nculus f. 21, cf. aunculus, aunclo, etc., Schuchardt, *Der Vokalismus des Vulgärlateins*, t. II. p. 471 ; francogallice *oncle*.

u pro y : dactulus, dactuli f. 15.

uu pro u : pueruula f. 12 v°, l. 18.

b pro p, ante s et t : describsisse f. 19 v°, scribserint f. 24 ; scribtor f. 19 v°, scribtorum f. 17 (cf. scribtum, scribtura, Rœnsch, *Itala und Vulgata* p. 456) ; obtimus f. 36, obtatiui, f. 36, -uum f. 36.

c pro t ante i et vocalem : periciam f. 11 v°, l. 10, 11 ;

1. *Classic. auctorum*, t. V, p. 11.

2. *Aus*, *Bataus*, *noum*, *Daus*, *Flaus*, *Octaus*, etc., cf. Corssen, *Ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache*, zweite Aufgabe, I, 321, 322.

racio f. 19 (pro quo librarius primum scripserat *ratio*). produccione f. 33 ; quæscionis f. 26 v°.

ct pro t : arctubus f. 13, l. 1 ; factus est f. 30 v°, per pan dictur f. 29 v°, pro perpenditur. Cum tali scriptione conferas latina verba *mulcta* et *multa*, *auctor* et *autor* ; et recentiores formas *virectum* pro *viretum*, *jacinctinas* pro *iacinthinas* ; *vendictionis* pro *venditionis*[1]. Vide cx pro x et t pro ct.

cx pro x : adiuncxerimus, f. 37 v°.

d pro t : uelud, f. 22, f. 37; inquid, f. 37 v°.
*idem, f. 24 v°.

f pro ph : filosophiae, f. 11, l. 27; filosophorum, f. 11 v°, l. 11 ; etc.
safico, f. 19 v°.

f pro v : perfendiant, f. 11, l. 20, perfendiens f. 17 ; at peruenirem, f. 34 v°. « Nostri definiere doctores ne- « minem eorum qui reculi uoluptu et cupitate pecuniae « uinculatur aduersam sapientiœ scientiam perfundere « posse », f. 17, i. e. sæculi uoluptates et cupiditate... ad ueram. . peruenire posse.

g pro c : glarior, f. 23 (clareo, f. 31 v°).

g omissa : tri enta, f. 29, i. e. triginta ; cf. TRIENTA in titulo ap. Le Blant, n° 679; et francogall. *trente*.

g addita : inchogatiuam, -uœ, f. 23.

h omissa : deptongi, f. 13, i. e. diphthongi; adtrait, f. 31, i. e. adtrahit ; quē aequae... sunt, f. 11, l. 16, i. e. quae haec quae.

h addita : epithomam, f. 37, aepithomae, f. 13 v° : uth (bis), f. 13 v°.

1. Anciens glossaires romans, corrigés et expliqués par Frédéric Diez. Traduit par Alfred Bauer (Bibliothèque de l'Ecole des Hautes Etudes, fasc. V, p. 39).

h transposita : chartago, f. 20 v°; rehtoria, f. 16 v°, i. e. rhetorica; rehtorizandi, f. 34; icroihco, f. 19 v°.

l pro lt : mulae, f. 13; muli, f. 30; muli pertita, f. 20; moli, f. 29 v°, i. e. multi; in vetusta francogallica lingua *mul*[1].

m omissa in fine vocabuli : eni, f. 20 v°; cf. nequa, Rœnsch, *Itala und Vulgata,* p. 275; et passim, non passi, numquam, non numqua; pridem, non pride; olim, non oli; idem, non ide, *Appendix Probi.*

mm pro dm : sine amminiculo, f. 26 v°; amminiculatione, f. 13, cf. ammirari, Rœnsch, *Itala und Vulgata,* p. 462.

n pro m : auten, f. 27.

n omissa : co iugis, f. 12 v°, l. 9, 10, at coniunctiones, f. 26 v°, etc.

r pro l : plura *r*em, f. 24 v°; at plurali, ibid.; pluralem, f. 27 v°; etc.

s omissa : apera, f. 19 v°, i. e. aspera.

s addita : exspertemque, f. 23 v°.
responitur, f. 26 v°.
quo*s*tus, f. 27 v°.

t pro c : verba fallatia, f. 33.
solli*t*itationem, f. 16 v°.

t pro ct : atio, f. 14 (autoritatem, f. 11 v°, l. 11).

t pro d : *de*titus, f. 29.
aliut, f. 24.

GEMINATIO CONSONANTIUM OMISSA.

a*d*icuntur, f. 21.

1. *Grammaire des langues romanes* par Frédéric Diez, troisième édition refondue et augmentée, t. I, traduit par Auguste Brachet et Gaston Paris, p. 420, n.

de*f*icilis, f. 37.
hanc su*m*am, f. 24; gramaticorum, f. 29.
co*n*exa, f. 20 v°.
o*p*ortunitate, f. 17 v°; -tes, f. 18 v°; supetit, f. 30.
cele*r*imo, f. 37 v°.
hiis pr̥mi*s*is, f. 11 v°, l. 14; prę mis a, f. 14 v°, i. e. præmissa; e*s*entia, f. 25 v°: gre*s*uum, f. 12 v°, l. 6.

GEMINATIO CONSONANTIUM MALE ADMISSA.

deffendunt, f. 11 v°, l. 10; soffysticam, f. 18.

utillius, f. 29; antetullere, f. 29 v°; opullentiam, f. 20 v°. Virgilius tamen formam *fillius* improbat : « Multi « etiam dicunt fillius pro- eo quod sit filius, ut Mace- « ronto... et miror unde. l. addidit in nominativo casu « singulari [1] ». Cf. loquella, querella, vellit, Rœnsch, *Itala und Vulgata*, p. 460.

ass*ũm*unt, f. 30.

repperta; f. 16; -riunt, f. 20 v°; -riuntur, f. 37.

prę possitiones, f. 13; prępossitione, f. 26 v°; possitiuus, f. 21 v°; interpossitis, f. 23; conpossita, conpo*s*suisse, f. 20; cunpossitio, f. 23; propossitum, f. 19 v°; possita, f. 13, l. 9.

gauissus, f. 35; inrissionis, iniuriossae, f. 34; diuissio, f. 11 v°, l. 21, f. 35 v°.

missereor, misseret, f. 31; non nissi, f. 35.

cassu, f. 23 v°; occassu, f. 37 v° (casus, f. 23 v°; causus, ibid.).

hœssitant, f. 20 v°.

ussus, f. 29; ussurpatum, f. 30; accu*ss*atiui, f. 30 v°. Cf. basilica, non bassilica, *App. Probi.*

1. *Class. auct.* t. V, p. 10, 11.

« Sciendum sane est quod ubicumque uocalem quam-
« libet in media arte possitam .s. duplicata secuta fuerit
« eandem uocalem corripiemus ut uassa uossa clussit
« iussit uessit; at si una .s. uocalis producetur ut glo-
« riosus uisus », f. 14. « Sic et m. duplicata ante sitam
« corripit uocalem ut summus gammus sin alias produ-
« cetur ut sumus ramus », f. 14. Haec regula intellegi debet de duplici pronuntiatione quae in vulgari latino sermone observabatur, e. g. *cūpa* = francogall. *cuve* et *cŭppa* = francogall. *coupe*. Reperiuntur formae ut *iobemmus, conservammus, tottus, Josippus,* quae cum italica recenti lingua omnino congruunt. H. Schuchardt, *Der Vokalismus des Vulgærlateins*, t. I, p. 261, II, p. 114, III, p. 114, 118, 202.

VARIA.

festim pro confestim, f. 16 v°.
uersa pro diuersa, f. 19 v°.
uidentius pro euidentius, f. 30.
caeris, f. 17; ceris, f. 17 v°; ceteris, f. 23 v°; cœtera, f. 23; caeteros, f. 30.
conpossione, f. 34 (compossiciones, f. 35).
suffienter, f. 19 v°; suffiat, f. 34 v°; pro sufficienter, sufficiat.
preciti, f. 16 v°, pro praecipiti.
similitunem, f. 35, pro similitudinem; cf. francogall. -tume in *amertume, coutume*?
telleam, f. 11, l. 18, telleaque, f. 11, l. 14, i. e. terrestris, quasi * *tellurea*.
gloficatia, f. 25 v°, quasi glorificantia, cf. glorifico, ibid.; ex illa voce *gloficatia* suspicor ortum esse verbum

glifiam, quo Virgilius utitur : « sive enim propter « ipsam glifiam, ut scilicet lectores impediant[1] » idem sensus est quam in altero nostri loco : « propter de- « corem aedificationemque eloquentiae... si illi didi- « cerint hanc sectam, non solum... nihil honoris « reverentiã inpendent, uerum etiam... ornatores suos « laniabunt[2]. »

* possi, f. 29, pro possiti.

* glutin (syllabae sunt glutin litterarum, f. 13 v°; conglutinae, in cod. Vindob., Huemer, *Die Epitomae*, p. 533).

natur, f. 12, l. 14, pro natura (abl.).

silla, f. 13 v°, i. e. syllaba (abl.); syllarum, gen. plur., f. 14. Cf. cambr. *sill?*

« Syllarum naturas quis facile intellegit cum tam sepe « motantur ut a nemine depr hendantur quia secundum « pedum statum flexibiles sunt etenim secundum necessi- « tatem mensurandorum pedum de duabus syllabis una « efficitur et longa uocatur ut audi uade aula », f. 14. Non de elisione haec Virgilius tradere videtur, sed, ut opinor, de vulgari quadam et expeditiore pronuntiandi modo, in quo ultimae verborum syllabae non audiebantur. Cf. « figulus, non figel; barbarus, non barbar », *App. Probi.*

IV. De genere, numero et declinatione apud Virgilium in codice Parisino haec praesertim notanda sunt.

Masculinum pro neutrali : « XII signi », f. 18 v°, i. e. signa; « omnis... animalis aut auis », f. 22 v°.

Neutrum pro masculino : « articulum est », f. 28; cf.

1. *Appendix ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 130.
2. Cf. Huemer, *Die Epitomae*, p. 515.

« haec articula », nom. plur., in *Appendice ad opera edita ab Angelo Maio,* p. 125; « omnia œra », f. 15 v°, in loco Gergesi, cf. « ipsum aërum » (nom. sing.), *App. ad op. ed. ab A. Maio,* p. 161.

Femininum pro masculino : « hac moda », f. 11, l. 21, i. e. hoc modo; cf. francogall. *une mode?*

Tenebra sensu distinguitur a plurali *tenebræ*, fol. 24 v°; cf. cod. Nanc., A. Collignon, loco citato, p. 18. Revera *tenebra* in vulgari latinitate frequenter occurrit (Rœnsch, *Itala und Vulgata*, p. 273).

Diuicia legitur, f. 20, *diuitia*, f. 26 v°, quanquam Virgilius, f. 24 v° docet : « Diuitiæ... singularem numerum habere non possunt ». At f. 20 et f. 26 v° *qua diuicia* et *qua diuitia* errore scripta esse videntur pro *qua de causa ;* cf. *Anecdota Helvetica,* p. 190, l. 20; *Classic. auctor.*, t. V, p. 132, 137.

Ablativus et accusativus in plebeio sermone saepe invicem ponebantur (Rœnsch, *Itala und Vulgata*, p. 406 et sqq; H. d'Arbois de Jubainville, *La déclinaison latine en Gaule à l'époque mérovingienne*, Paris, 1872, p. 15, 16, 18, etc.). Quod in operibus Virgilii nonnunquam reperitur :

Accusat. similitudine, f. 33.
primam persona, f. 30.
intellegentia, f. 12 v°, l. 21, 22.
s. duplicata, f. 14.
cf. uerbo, f. 29 v°, pro uerbum, nom.

Ablat. actoritatem, f. 12, l. 5, pro auctoritate (de mare, f. 16).

« Sciendum sane quod omnis monasyllabœ declinatio

« duplici nomine » (i. e. *nominatiuo*[1]) « utętur ut plebs « plebis et nominatio plebis, ars et artis, bos et buis », f. 24 v°; cf. Collignon, loc. cit., p. 20; et *bos, buis,* f. 22 v°. Sic legitur in *Appendice Probi :* « grus, non gruis » ; cf. H. d'Arbois de Jubainville, *La déclinaison latine en Gaule,* p. 85.

nexui, f. 38 v°, i. e. nexus, gen. sing.

casium, f. 12 v°, l. 21, i. e. casuum.

« Sunt etiam feminina nomina quœ duplici declinatione « gaudent ut materies et materia... facies facia, sed « hiis multa distantia est. Facies ipsa superficies est, « facia similitudo faciei in pictura », f. 25, 25 v° ; « in- « suafacia », f. 17, i. e. in sua facie. *Facia* italice est *faccia.* Cf. *effigia,* effigies, Rœnsch, *Itala und Vulgata,* p. 259.

« Uas in declinatione uariatur ; ali enim in genitiuo « uassi putantes et in ablatiuo uasso et pluraliter uassorum, « uassis. Ita declinandum putauerunt ; nos autem sequen- « tes doctorum scrita » (i. e. scripta) « non uulgaribus « opinionibus adducimur ; docti siquidem huius nominis « declinationem hoc nobis modo tradidere, uas, uassis, « uassi, uas, uasse, et pluraliter uassa, uasum, uassibus, « uassa, uassa, uassibus » f. 25. Ergone legendum est uasse f. 19 : « in quodam integro uassa ? » *Vaso* pro *vase,* etc.. citavit Rœnsch, *Itala und Vulgata,* p. 260.

Multa praeterea Virgilius nomina affert quae aut tertiam aut secundam declinationem sequi possunt : ut *altare* et *altarium, pręsepe* et *pręsepium* (f. 25), cf. Collignon, loc. citato, p. 19 ; et in *Appendice Probi* : « cocleare, non cocliarium ».

1. Cf. « Nonnulla » [pronomina]... « solo nomine flectuntur ut uspis unde uspiam », f. 27.

« Hoc sane considerandum quod multa nomina neutra « duas declinanes habent ut fundamenta » [lege *fundamen*] « fundaminis et ctr. Item fundamentum tito » (i. e. -ti, -to) « Sic stramen et stramentum, cognomen « cognomentum, specimen specimentum » (cod. Nanc. speciamen speciamentum, Collignon, p. 19) « crassamen « crassamentum » f. 25. Vox ea derivatur a verbo *charaxare*, χαράσσειν (charaxat... genas, ap. Prudentium) quod scriptum invenitur *crac xare*, f. 12, l. 5, *craxandis* f. 12 v°, l. 16, cf. *cracteribus* f. 12 v°, l. 13, i. e. characteribus, et *craxaturam litterarum*, f. 39 v°. Alia nomina in *-mentum* exeuntia usurpat noster, e. g. *contrumentum*, f. 11 v°, l. 8 (construmentum, *Classic. auct.* t. V, p. 97) ; *cantamentum* f. 16, cf. cantamenta, *Class. auctorum*, t. V, p. 112 ; operamenta, gl. opera, *The Luxembourg folio, Revue celtique*, I, 349, l. 9 ; Rœnsch, *Itala und Vulgata*, p. 22-25 ; H. Goelzer, *Etude lexicographique et grammaticale de la latinité de saint Jérome*, Paris, 1884, p. 59-62.

Quantum inter se affinitatis *-men* et *-mentum* habeant, graeca lingua ostendit, quae -μα = *-men* in singularis numeri tribus tantum casibus adhibet, in reliquis vero -μα-τ- et aliquando -μα-το- = lat. *-mento-* (aeolice dicitur παθημάτοις, ut latine in transsumptis vocabulis *poematis* pro *poematibus*, et saepe *poematorum* pro *poematum* ; cf. Rœnsch, *Itala und Vulgata*, p. 260).

Artificorum f. 25 v°, genetivus pluralis est nominis *artifex* ad normam secundae declinationis expressus, quocum conferas *pontificorum*, *parentorum*, etc., in titulis[1].

1. Edmond Le Blant, *Journal des savants*, 1882, p. 307.

ADJECTIVA NOMINA.

« Bonus et bonis uterque in sua declinatione repperi-
« tur » (sequuntur exempla formarum « bones uiros »,
« sanctem deorum cultorem » « perfectem... uirum »),
« Nonse » (i. e. *nosse*) « itaque debemus quod ea paulo
« rariora sunt et hoc doctores possuerunt non quo nocere
« uellint auditoribus suis sed proficere, ut cum hœc in
« eorum uidauerimus operibus inscribta tanquam trita
« et cognita in ussu habeamus. » f. 26 ; cf. cod. Nanc., Collignon, p. 21. Videtur noster hic erravisse, cum confusionem declinationum in adjectivis nominibus a doctoribus excogitatam esse existimaret. Cf. *doctis, sinceris*, etc., Rœnsch, *Itala und Vulgata*, p. 274 ; et sic in nominibus *diaconem, duomvires*, etc., ibid. p. 262.

Nescio an errore quodam scriptum sit « inusitate « enim latinitate », in cod. Paris., f. 12, l. 13, pro *in usitata*, et « in latinitate usitate », in cod. Nanc., Collignon, p. 19.

Quaedam adjectiva nomina jam in aurea latinitatis aetate et in *-is* et in *-us* desinebant, ut *hilaris* et *hilarus* ; alia unam in graeca, alteram in latina lingua terminationem habebant, ut ὁμαλός, *similis*. In celtica lingua confusio quaedam adjectivorum in *-os* et in *-is* facta est, e. g. *matos* « bonus » (unde nomen *Teuto-matos*, apud Caesarem) nominativum quoque **matis* habuit, quod vetusta hibernica vox *maith* indicat (= **matis*, at genetivus est *maith* =**mati*, a *matos* ductus [1]).

1. Cf. E. Windisch, *Kurzgefasste irische Grammatik*, Leipzig, 1879, p. 34 ; Whitley Stokes, *Celtic declension*, p. 32, 10.

COMPARATIVUS.

« Possitiuus gradus pro comperatiuo ponitur barbarice... « sed haec licet dubitatam » (lege *indubitatam*) « nobis auc- « toritatem non exhibeat tamen quia a pierisque gnaris- « simis uiris ussurpata sunt apertam diffissionem inferre « non debent », f. 22. Etsi exemplum citat Virgilius « suo *magnus doctore* », pro *major*, tamen conferre licet locutiones quas Rœnsch tractat, *Itala und Vulgata* p. 442, est « *bonum* est obedire Deo *quam* hominibus ».

« Utrum habeat nouissimus comparatiuum et posi- « tiuum ? Non habet secundum Donatum, secundum Pri- « scianum uero et Virgilium habet ». *Anecdota Helvetica*, p. 192. Revera reperitur forma *novissimior*, apud Rœnsch, *Itala und Vulgata*, p. 278, cf. proximior, postremior, extremius, ibid. Noster docet etiam a quibusdam scribi *pluriores* (*Appendix ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 124), comparativum adjectivi *plures*; et hercle legimus *pluriora*, *Itala und Vulgata*, p. 278, cf. francogall. *plusieurs*.

SUPERLATIVUM.

« Non numquam etiam conparatius gradus cum geni- « tiuo cassui adhesserit superlatiui opus facit et hoc non « rationis sed uetustatis est dicis enim maior omnium ac « si dixisses maximus », cod. Paris., f. 21 v°, cf. « optimos, meliores » (*Anciens glossaires romans*, Diez, trad. Bauer, p. 54) et francogall. « le *meilleur*. »

Contra superlativum pro comparativo poni asserit Virgilius, quod barbaricum ei videtur, exemplumque affert « omnibus fortissimus regibus », f. 21 v°. Cf. plurimus quam, Rœnsch, *Itala und Vulgata*, p. 418.

Usus est noster verbis *magnissimo*, f. 13 v°, et *medissimo* ibid., i. e. minimo; pro **mediissimo*, quasi *mediocrissimo*? An pro *modicissimo*, cf. Rœnsch, *Itala und Vulgata*, p. 334-336?

Pauca denique de declinationibus apud Virgilium addenda sunt :

utriusqui numeri, f. 27 v°; utriqui numero, f. 22 v°.

ars quadam, f. 17.

hœ [verba], f. 32.

« Nescio qui actoritatem animantur » f. 12, l. 5, 6, i. e. qua auctoritate ; « qui uiro », « qui muliere », « qui « uerbo », f. 27; cf. *Appendix ad opera edita ab Angelo Maio*, p. 126; *qui* pro *quae*, fem. legitur apud Rœnsch, *Itala und Vulgata*, p. 276, 520, ut francogallice *qui* utriusque generis est.

« A ueteribus declinantur dui duorum duis duos a duis « sic et ambi, rectius autem declinantur duo duum duo- « bus duos a duobus sic et alio » (lege *ambo*) « ambuum « ambobus », f. 27 v°.

Nominativo *dui* conferendae sunt formae francogallicae *amdui*, *andui*, prov. *ambedui*.

Genetivus *duum* occurrit, f. 15 v° (duum pedum) et f. 27 v° (duum generum) ; sic et ap. Rœnsch, *Itala und Vulgata*, p. 277; cf. *duumvir*, ubi *duum* genetivus est, sicut *trium* in *triumvir*.

genet. fem. *duarum*, f. 23.

genet. *duumdecim generum*, f. 12, l. 11.

acc. dus res, f. 20 v°.

» Utrique... dicebant, pro ego, mius accipiendum « esse et sic declinandum, mius, mei vel mis, mihi... » (*Class. auct.* t. V, p. 22). « Inter mei vel mis : mis quan- « do ab aliquo spero promissam venturam rem; mei quod

« praesens possideo » (ibid. p. 138, 139.) Cf. « Ego « mei vel mis. » (Jehan Lagadeuc, *Le Catholicon*, ed. in-4, Bibl. Nat. X 1429 ++ A*a*, Réserve; s.v. *Me*).

V. In conjugandis verbis multas apud Virgilium perspicere est proprietates, quarum praecipuas tantum afferam.

Phoneticae magis quam *morphologiae* sunt quae sequuntur :

pręc*i*perit, f. 16 v°, quod ad scribae fortasse pronuntiationem referendum est, ut certe *suscipi* pro suscepi, f. 33 : « suscipio... in preterito... *media littera motatur* « ut suscipi ».

uellit, f. 23, i. e. uellet; conteniatur, f. 16 v°.

consistet, f. 20, i. e. consistit; indebetum, f. 17 v°, etc.

pro ut uale, f. 39 v°, i. e. ualet, in loco Estrii.

Phoneticae simul et morphologiae sunt:

sapire, f. 19.

flectiuntur, f. 24 v°.

Primae conjugationis verbum *vidare*, i. e. videre frequentissime occurrit :

uidantur, f. 25 v°, f. 35; uidauerimus, f. 26 v°, uida, f. 30, uido, uidaui, uidabo, f. 30, utinam uidarem utinam uidares, etc. f. 30. « Sunt... uerba duplicis... coniu- « gationis, ut uido uidas, uideo uides sed uido ad... « mentis oculos refferendum uideo ad carnales » f. 32 v°.

Nescio an *vidare* ex subjunctivo *videam* ortum sit; cf. *uideatur* f. 16, i. e. videtur.

Haud rarae sunt confusiones primae conjugationis et tertiae : Virgilius sensuum distinctionem quaerit inter probo, probas et probo, probis; tego, tegas et tego, tegis, etc., f. 32 v°. Ipse utitur formis *ricorditur* pro recorda-

tur, f. 22, *uocitus* est, f. 21, quae vulgari eloquio adscribendae sunt (vocitus, Rœnsch, p. 521; vocitus, rogitus, probitus, etc., Schuchardt, *Der Vokalismus des Vulgærlateins*, t. I, p. 36).

Forte ex analogia formarum *vocitus* et *vocitatus* prodiit *meditiua* pro *meditatiua* : « meditiua... ut factorio « tanquam si dicat dicere quandoque propono », f. 31 v°; lege *dicturio*, vel *facere*. Cf. « meditativa est verborum forma, qua non actus sed apparatus ostenditur, ut parturio » (Diomedes, ed. Keil, p. 346). Similiter noster frequentativas saepe pro simplicibus formas adhibet :

« coniunctiuus modus » et « coniunctatiuus modus », f. 30 v°; « coniunctatione » f. 33 v°, i. e. conjugatione (defectativa, cod. Nanc., Collignon, p. 19; intellectatio, ibid.).

« In quassatorum conpossitione » f. 30 v°, i. e. sententiarum; cf. quassorum, f. 29 v°, f. 12 v°, l. 14 et l. 22, f. 37; « unum... quassum », f. 20; « de Turno quassum facit », f. 13 v°; breui quasso, f 29, in quassis, f. 28 v°.

Rœnsch bene observavit, p. 475, multa francogallicae linguae verba simplicia sensu a frequentativis formis derivata esse ut *épouser*, *fixer*, *jeter*, *poser*, etc.

Secundae conjugationis cum tertia quoque confusiones factae sunt :

« commiscuntur » f. 39 (id., *Anecd. Helvet.* p. 200, l. 23).

(Œneas)... « dixit quod duo futura tempora habeat « utibp » (lege *ut ibo*) « et eam et ctr » f. 33 v°. « Hoc « nosse debemus quod uniuscuiusque coniugationis uerbum « duplex futurum tempus habeat. Dicimus enim interro- « gabo et interrogam ges get, uidebo uideam, audibo

» audiam, agam agebo », f. 32 v°; ipse Virgilius utitur futuro *agebuntur*, f. 30. Quod ex plebeio sermone sumptum est: cf. futura *doceam, videam, augeam, diligebit, dicebo, vivebo, custodibo, dormibo, scibo*, quorum Rœnsch exempla collegit, *Itala und Vulgata*, p. 291-292.

Jure etiam noster scribere potuit: « Sunt qui dicunt « quędam uerba in i, ire, et propterea nullius coniuga- « tionis fieri ut memini odi noui sed nos multœ eos lec- « tionis auctoritate reuincimus. Inuenimus enim sepe... « odio dis dit odiui; memini autem solum in o exire non « repperi », f. 33. Rœnsch enim monstravit, *Itala und Vulgata*, p. 281-283, verbum *odisse* regulares formas activi et passivi tunc temporis adeptum esse.

« Sunt uerba quœ multis in controuersiam uenire poss « emt » (lege *possunt*) « a nonnullis enim actiua a pleris- « que deponentia docentur ut partior, populor, prędor et « ctr. Huiusmodi contentionem facilleme peritus quisque « sedabit quia utrumque per multifariam latinœ linquę « condicionem potest inueniri » f. 35, 35 v°; « ueneror « regem et ueneror a rege » f. 35. Hoc Virgilii judicium de lingua certissimis ejusdem aetatis exemplis probatur verum fuisse; cf. Rœnsch, *Itala und Vulgata*, p. 476.

Alias verborum formas, quas noster aut tantum citavit, ut fior, fitus sum (f. 36 v°), aut ipse adhibuit, ut *legestum est* (f. 13, l. 5), pro *lectum est*, quanquam hanc « contra ussitatem latinitatem » esse judicat, f. 36 v°, ad vulgarem usum pertinere demonstravit Huemer, *Die Epitomae*, p. 48, 49.

Infiens f. 16, i. e. incohans; imfi uit f. 20 v°, lege infiuit, i. e. incohavit; cf. « prophetari inquit », *Classic. auctorum*, t. V, p. 13, quod procul dubio pro *infiuit* scriptum est.

VI. De syntaxi apud Virgilium unam tantum proprietatem notabo.

« Non num quam etiam conparatius gradus cum geni-
« tiuo cassui adhesserit superlatiui opus facit et hoc non
« rationis sed uetustatis est dicis enim maior omnium ac
« si dixisses maximus », f. 21 v°. Major omnium pro major omnibus hellenismus videri potest, in vulgari recentium Romanorum eloquio haud incognitus; cf. Rœnsch, *Itala und Vulgata,* p. 435.

VII. Magnus numerus est vocabulorum quae noster fere solus scripsisse videtur auctorum quos in manibus habemus. Restat, ut pauca horum exempla sumpta ex codice Parisino proferam.

Aduidi : « scola Galbungi quam et ego aduidi » f. 33 v°.

Agglomunt f. 16 v°, i. e. miscent, quasi agglomerant.

Anneus f. 11 v°, l. 18, i. e. annosus, vetus.

« Atramentantur, i. scribuntur » *Caelii Sedulii opera,* p. 426; depon., in cod. Paris., f. 12, l. 10-11 : « quo scripturas latini omnes atramentantur ».

Audatum, f. 11 v°, l. 13, 14 : « incassum omne suum expedunt audatum », i. e. conatum, ex **audare* pro audere, cf. vidare.

Auidant : « rictu hiante. — », f. 17 v°, ab eo quod est *avidus.*

Cata, canis, fem. *Append. ad op. ed. ab A. Maio,* p. 115; *Anecd. Helv.*, p. 82. Ex diminutivo *catula* formatum.

Cernuus regum f. 22, i.e. conspicuus inter reges; cf. « Cernuus a cerno is ... Cernuus eciam dicitur magnus infinitus », *Catholicon* Joannis de Janua, Moguntiae 1460.

Contant f. 13, 20 v°, i. e. quaerunt, tentant ; cantabo

f. 29 v°, i. e. tentabo ; ex analogia verborum *conari* et *tentare* ?

Cummixtiuum genus, f. 35.

Decessiorem, f. 11, l. 22, i. e. deteriorem.

Deponentiua f. 35, deponentia ibid., *u* supra *a* scripta ; pro deponentia (verba) ; ex analogia vocis *activus* ?

Eberem f. 23 v°, i. e. interrogarem.

Effibans. « Interans quodamodo atque effibans uiscera sententia arum », f. 17, i. e. intrans quodam modo atque *exfibrans* viscera sententiarum.

Eloquentionibus, f. 12, l. 7, i. e. elocutionibus.

Emulitatem, f. 16 v°, i. e. utilitatem; aemulem, f. 11 v°, l. 10, i. e. utilem ; cf. *emulamenti* gl. cormo, *The Luxembourg folio. Revue celtique,* t. I, p. 349, l. 16. *Cormo* autem vetusta aremorica vox est, qua falso crediderunt viri docti significari genus quoddam potionis, cum eadem sit ac forma recentior *coruo* quae in satis multis quinti decimi saeculi aremoricis documentis occurrit et lucrum sonat[1]. *Emulamenti* fortasse pro *emolumenti* exstat.

Fortiosa, f. 13, l. 10, i. e. fortis (vocalis); forciosae, f. 13 i. e. fortes (litteræ). Cf. « sunt etiam aduerbia quae « propter ueterem consuetudinem et ait » (lege *ut*) « eli- « matius dicam propter uitiosam inuentionem aut ad- « duntur ut fortiositer pro fortiter, compto se pro compte, « aut minuntur ut audacter pro audaciter felicter pro fe- « liciter » f. 37 v°, 38. Cf. dicio siorœ, f. 13, i. e. ditiore; sapidiosam, f. 18, i. e. sapidam.

Fretos. « Geometrica est ars disciplinata quae omnium « herbarum graminumque experimentum enuntiat unde

1. *Revue celtique,* t. VII (1886), p. 150.

« et medicos ac fretos geometres uocamus id est expertus « herbarum », f. 18, 18 v°.

Infamitatem, f. 20 v°, i. e. infamiam; unde in vetusta Francogallorum lingua *infametè,* quae vox etiamnunc aremorice dicitur (*Infamite*).

Inflectibilia (nomina), f. 38, i. e. inflexibilia.

Innarationabili : « ornato quidem sed — circuitu », f. 15.

Mititudinis, f. 19 v°, i. e. dulcitudinis.

Perdoceat, f. 12 v°, l. 23, i. e. perdiscat.

Prę posterato, f. 11, l. 18, i. e. praepostere.

Primitum, f. 29 v°, i. e. primitus.

Pus, custodia; cf. « Pus puris fe. ge. i. custodia...

« Pus pro putredo non declinabile credo.
Pus declinatur custodia quando vocatur. »

(*Catholicon* Joannis de Janua.)

Quœrimoniantur cur. ... f. 29 v°, i. e. quaerunt; quœrimonantibus, f. 20, i. e. quaerentibus. A verbo querimonia, quasi ex *quaero*, non ex *queror* procederet.

Sapidinis, f. 11 v°, l. 15, i. e. saporis; sapificare incipientes, f. 16 v°, i. e. philosophari.

Sepiter, f. 16, i. e. saepe.

Subministratoria : pars — orationis, f. 26 v°.

Testimonii, f. 38 v°, 39 v°, i. e. textus, sententiae, enuntiationis, cf. *Anecd. Helvetica,* p. 197, l. 5, et p. 200, l. 6. *Testimonium* in celticis linguis talem sensum exhibet : hibernice *testimîn,* textus, cambrice *testun* textus, argumentum.

Transaedere (in latinam linguam), f. 11 v°, l. 25-26, i. e. traducere.

Trierunt. « Plerique nostrorum hoc uerbum frequenter

trierunt », f. 24, i. e. usurparunt, cf. *terere viam, iter,* et *trita via, tritum verbum.*

VIII. De Virgilii latinitate Julius Quicherat hujus modi judicium tulit : « Quoties dignatur omnium sermone uti, non ambitiosius aut vitiosius dicit Virgilius Maro quam ornati auctores ut Sidonius Apollinaris et Ennodius. Quin etiam purae et castigatae orationis amator videri potest ; nec ipsi, sed aetati qua vixit et regioni tribuenda sunt quae subridicule menda admisit[1] ».

Haec tam docti viri sententia post fere quinquaginta annos non abroganda est. Notare tamen decet latinam linguam, Virgilio vivente, in scholis tantum, aliqua ex parte, notam fuisse, cum jam romanicus sermo vulgo audiretur. Quare non omnium lingua uti poterat, nam neque populus cum litteratis neque ipsi Aquitaniae litterati inter se lingua congruebant ; quos, veterum libris prope omnino neglectis, nulla auctoritas ad concordiam redigebat.

Ceterum in Julii Quicherat verbis nostri grammatici compositionem et artem scribendi intellegere decet potius quam linguam, de qua ne hodie quidem decretoria sententia ferri potest. Auctoris enim, et re ipsa et consulto saepissime tam obscuri, atque librariorum erroribus et mendis tam obnoxii, codices manu scriptos omnes perlegere et comparare prius necesse esset ; porro praeter pauca quae sedulo typis mandarunt eruditi viri Joh. Huemer, Hagen et Collignon excerpta, nihil in manibus habemus quod non editor, bona quidem fide, castigaverit et purae latinitatis formis donaverit ; in tali autem conversione ipsae notiones nonnunquam corruptae sunt.

1. *Bibliothèque de l'École des Chartes,* 1re série, t. II (1840), p. 138.

CONCLUSIO

Hujus opusculi summam nunc paucis absolvam.

Virgilii Maronis opera legenti prima quaestio occurrit num mente captus grammaticus fuerit, an lectorem inurbane deludere et impudentissime decipere voluerit. Si autem diligentius rem spectaveris, eum putabis nec furentem nec mendacem fuisse, sed magistris suis nimium docilem arcano scribendi modo frequenter indulsisse, quem nondum certe interpretari valemus. Hanc fictitiam quam Tolosana schola excogitasse videtur linguam non semper seponere potuit a pura ăntiquorum latinitate neque a vulgari jam non latino, sed francogallico sermone. Alias linguas fere prorsus ignoravit. Nullum in ejus libellis deprehendi certum aut germanicae aut ibericae vestigium, et multo pauciora, procul dubio, verba celticae originis adhibet quam nos in hodierna francogallica dialecto.

Valde mirandam sane in grammatico ignorationem veterum auctorum, quam Virgilius exhibet, crediderim ortam esse ex nimia praeceptorum et amicorum suorum aestimatione, quos omnis scientiae solos et abundantissimos fontes esse judicabat. Cum autem ipsi in talibus studiis non tam incredibiliter rudes fuerint, quod supra demonstravi, videri potest Virgilius eorum doctrinam de prioribus non semper intellexisse aut memoria retinuisse, qui praeter grammaticam artem nihil attentu dignum duceret.

Quidquid id est, Virgilius, quamvis veteris latinarum litterarum historiae ignarus, multa nos docere potest de informatione nostrae linguae, cujus fuit auditor et sedulus investigator.

Chartres. — Imprimerie Durand, rue Fulbert.

INDEX

Pagiuae

PRAEFATIO 5

CAPUT I. — De grammatici nostri nominibus, patria, aetate et operibus 7

CAPUT II. — De Virgilii Maronis moribus et scientia 17

CAPUT III. — De Virgilii Maronis latinitate 32

CONCLUSIO 64

Vidi ac perlegi,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,

a. d. X Kal. nov. anni MDCCCLXXXVI,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. Himly.

Typis mandetur

Academiæ Parisiensis rector

Gréard.

PA
8443
Z5E76

Ernault, Emile Jean Marie
De Virgilio Marone grammatico
Tolosano

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY